VEN. AGNETIS BLANNBEKIN ... VITA ET REVELATIONES: ACCESSIT...



VEN.
AGNETIS BLANNBEKIN,

Quæ ſub Rudolpho Habſpurgico & Alberto I. Auſtriacis Impp. Viennæ floruit,

VITA
ET
REVELATIONES

Auctore
Anonymo Ord. FF. Min. è Celebri Conv. S. Crucis Wiennenſis, ejusdem Virg. Confeſſ.

Acceſſit

POTHONIS

Presbyteri & Monachi celeberr. Monaſt. Prunveningenſis, nunc Priflingenſis, prope Ratisbonam, Ord. S. B. qui ſeculo Chriſti XII. claruit,

LIBER
DE MIRACULIS SANCTÆ DEI GENITRICIS MARIÆ.

Utrumque Opuſculum ex MSS. Codd. primùm edidit

R. P. Bernardus Pez, Benedictinus & Bibliothecarius Mellicenſis.

VIENNÆ,
Apud Petrum Conrad Monach. 1731.

ABBATUM GEMMÆ
AC
STYRIÆ DELICIO
REVERENDISSIMO, PERILL.
AC AMPLISSIMO

D. D.
KILIANO,

CELEBERR. ET EXEMPTI
MONASTERII AD S. LAMBERTUM ET CELLAS B. M. V. ORD.
S. BENED.

ABBATI

VIGILANTISS.
PRÆPOSITO IN AFFLENZ
ET PIBER,
MISSIONUM PER AUSTRIAM, STYRIAM ET CARINTHIAM
PRÆFECTO PERPETUO,
SAC. CÆS. REGIÆQUE
CATHOL. MAJESTATIS
CONSILIARIO
&c. &c.

QUOD LITTERARIA OMNIUM
QUIDEM
SCIENTIARUM ET DISCIPLINARUM
MONUMENTA MAXIMI FACIEBAT
IPSE
DOCTISSIMUS ERUDITISSIMUSQUE,
SED JUXTA
RELIGIOSISSIMUS ET
PIISSIMUS
EA SOLA SUO SINU DIGNA JUDICABAT,
QUÆ AGERENT
DE ARTE AMANDI
JESUM ET MARIAM:
HANC VETERUM EJUSEDM
ARGUMENTI
LIBELLORUM BIGAM
GRATI ANIMI CAUSA,
DUM ALIUD QUID AUGUSTIUS, ET
TANTO
NOMINE TANTISQUE ACCEPTIS BENEFICIIS
DIGNIUS PARARET,
DICAVIT
P. B. P.

PRÆFATIO

In Vitam & Revelationes Ven. Agnetis Blannbekin, ac in Pothonis Prunveningensis Librum de Miraculis Sanctæ DEI Genitricis Mariæ.

I.



QUindecim ferè anni prælapsi sunt, cùm *Acta Ven. Wilburgis* seu *Wilbirgis*, Canonicæ ac Reclusæ Sanct-Florianensis Ord. S. Augustini in Austria Superiore ex umbra & tenebris in lucem protuli. Nunc alterius ex Austria Inferiore Virginis, ætate, vitæ sanctimonia & cœlestibus donis illi æqualis, res vel sanctè actas vel divinitus visas, ex longe adhuc maioribus ac spissioribus latebris veluti redivivas Lectori sisto ac repræsento. Etsi enim *Wilburgis* illius vita sanctissimè exacta, vulgo ignota admodum & obscura esset, in ipsa tamen In-

clyta & Celeberrima Cangnia Fioria-nensi, quam ceu virtutis suæ pietatisque arenam & theatrum elegerat, & sanctissimo suo obitu consecravit, quædam ejus monumenta constanter perdurârunt, nec inter tot tantásque rerum ac temporum vicissitudines ejus memoria apud Clarissimos ejusdem loci Canonicos unquam penitus intermori potuit: Ut nihil de Austriæ Bibliothecis hic commemorem, quæ *Vitam Wilburgis*, ab *Eynvvico*, Præposito Florianensi magna cum fide litteris consignatam, suo in sinu arctiùs sanctiúsque conservabant.

II. Nihil horum de rebus nostræ *Agnetis*, utut longè illustriorem olim scenam ornantis, affirmare licet, cujus etiam nomen doctis pariter ac indoctis in Austria pluribus seculis incognitum fuit. Primam ipse illius notitiam hausi, cùm biennio abhinc e Gallia reversus Illustrissimi ac Excellentissimi D. D. Ludovici Philippi, Comitis de Sinzendorff, Augustissimi Imp. CAROLI VI. Cancellarii Primarii, & tum ad Conventum Suess-

Suessionensem Principis Legati munificentiâ, sitas Rhenum inter, Danubium & Lycum bibliothecas lustravi. Ea enim occasione ad Celeberrimum Ordinis nostri Monasterium Neresheimense in Suevia Transdanubiana delatus, dum mihi a Clarissimo & Eruditissimo ejus loci Suppriore Magno Stör, vetusti Codices prolixa cum benevolentia & amore ostenderentur, evolutis pluribus voluminibus, vetustis admodum ac optimæ notæ, tandem in membranas, nec ipsi diligentissimo ductori meo hucusque animadversas incidi, quæ Vitam & Revelationes cujusdam *Agnetis*, quæ *Wiennæ morabatur*, continebant. Discussi opus illico tantò majori studio & sagacitate, quantò mihi ampliùs de Excellentissimi Comitis Patroni animo constabat; quem ea omnia maximopere delectant, quæ tum universæ Austriæ, tum speciatim Vrbi *Wiennensi*, luci ac ornamento quoquo modo esse possunt. Vix pauca delibaveram, cùm deprehendi, Opusculum luce publica dignissimum esse, utpote quô non solùm pietas ho-

minum egregiè accenderetur foveturque, sed etiam Historia Austriaca, Rudolphinorum præprimis ac Albertinorum temporum non uno loco illustraretur. Ita cogitanti mihi mox adfuit profusa erga me Clarissimorum Patrum Neresheimensium voluntas & humanitas, qui gemmulam, Austriæ olim tam charam, apud sese detectam admodum gavisi, non solum amplissimam codicis exscribendi facultatem mihi in loco indulserunt, verùm etiam, ut eundem domum mecum deportarem, benignissimi auctores extiterunt. Nec celeri, quam animo destinaveram, Operis editioni quidquam hucusque obstitit, quàm aliorum longè majoris momenti veterum monumentorum, quæ in eodem itinere reperta prelo paranda erant, cura & multitudo. Tandem & hic auxilio opportunè fuit Plurimùm Reverendus D. P. Leopoldus Wydemannus, Inclytæ Cartusiæ Gemnicensis in Austria Vicarius longè dignissimus, Vir ad juvandos pios ac utiles studiosorum hominum conatus unicè factus, qui acceptum a me Opus, manu

manu ſeculi XIV. atque adeò perquam minuta lectúque difficiliori exaratum, a ſe, licèt ſexagenario jam majore, curatè ac eleganter exſcriptum, & notulis inſuper nonnullis eruditè illuſtratum, brevi poſt tempore ad me remiſit, eáque ſua Induſtria effecit, ut eô, quem hic vides, modô, de patria mihi benè ac ſanctè, ut equidem ſpes eſt, mereri liceret.

III. Porrò ad ipſam *Agnetem*, quod attinet, eam in Auſtria floruiſſe, ac Wiennam ſua pietate ac domicilio ornâſſe ſeculo XIII. ad finem declinante, ſatis conſtat ex pluribus ejus viſionibus, quas annis MCCXC. MCCXCI. MCCXCIII & MCCXCIV. contigiſſe, vitæ Scriptor non obſcurè innuit, immò nonnunquam apertè affirmat. Ejus aſperrimam a pueritia & adoloſcentia vitam præcipuè diſcimus ex *Cap. 39.* unde etiam, uti & ex *Cap. 41.* intelligimus, *Agnetem* inſtitutum *Beginarum* ſectatam eſſe, de quo vitæ genere vide, quæ ad poſtremo loco citatum Caput ex *Cangio* obſervavi. Supremum diem obiiſſe anno Christi MCCXCVII. & quidem X. Calendas

Majas, ex iis videtur ſtatuendum, quæ *Ermenricus* quidam, qui codicem Neresheimenſem exaravit, ad Operis calcem hôc modô adnotavit:

Anno Domini MCCC$^{XVIII.}$ *minus tribus annis obiit hæc Virgo in X. Kal. Mai.*

Ubi numerum illum octodenarium, præter morem ſupra verſum extantem, ab alia manu, antiqua tamen, additum fuiſſe plusquam ſuſpicio eſt. Quod ſi tamen notæ illæ Chronicæ ubique ſanæ ſunt, obitum Agnetis anno Chriſti *MCCCXV.* conſignandum eſſe omnes vident. Ibidem ad notam *Ermenrici* tertia, ut videtur, quædam manus, ſeculo XIV. vix recentior, nomen Virginis, tum a vitæ Scriptore, tum a Librario diſſimulatum, his verbis adſcripſit: *Agnes Blannbekin, filia cujusdam ruſtici, & morabatur Wiennæ, & erat de confeſſione Minoris cujusdam ſancti Fratris.* Dum anno abhinc Vindobonæ agerem, nullam non operam dedi, ut non nihil amplius

plius de reliquis Virginis rebus, puta, de loco ſepulchri, ejus cultu, reliquiis, & ejusmodi aliis, quæ Eruditiſſimis Patribus Bollandianis aliquando uſui eſſe poſſent, ex Admodum RR. Patribus Minoritis Conventûs S. Crucis, ubi meliorem vitæ partem exegit, reſcirem, ſed fruſtra], nullo penitus ejus veſtigio vel memoria ſuperſtite. Nec plus opis ac lucis ex ampliſſimo veteri eorundem RR. PP. Minoritarum *Necrologio*, a R. fratre inter *Scriptores Rerum Auſtriacarum Tom. II.* vulgato, in quo genere vel pietate illuſtrium virorum fœminarúmque, apud eosdem ſepultorum, nomina recenſentur, cepi: ut adeò, quicquid de hac *Agnete* ſcire operæ pretium foret, non aliunde, quàm ex his unis & ſolis, quæ hìc edimus, ſperandum expectandúmque videatur.

IV. Is, qui *Vitam & Revelationes Agnetis*, utut rudi ac ferreo, id eſt, ſui ſeculi ſtylo, in litteras retulit, fuit *ſanctus quidam Frater Minor* e Conventu S. Crucis, ùt mox vidimus, & ipſe in toto paſſim Opere teſtatur: acceſſitque ad eas memoriæ

riæ tradendas Divino nutu & oraculo, certáque perennis in cœlo praemii ſpe incitatus, quod ipſe pluribus *Capite 37. & 38.* refert. Indidem liquet, Auctorem fuiſſe Virgini a ſacris confeſſionibus, omniáque, quæ ſcripſit, ex ejus ore, aut *a ſanctis & fide dignis perſonis*, ùt ait in Prologo, *didiciſſe*: quae quidem ad conciliandam ei fidem præprimis faciunt. Sed nihil eum longiùs extra falſitatis & fictionis ſuſpicionem apud cordatos viros collocabit, quàm quòd Heroïnæ ſuæ aliorúmque ex Ordine ſuo ſanctimoniâ vitæ præſtantium Sodalium virtutes & laudes ita exponat, ut præterea ne minimos quidem nævos eorundem aut noxas diſſimulet. Quin in hoc genere eousque candor ejus progreſſus eſt, ut ne propria quidem peccata longæ ac ſeræ poſteritatis oculis ſubducere voluerit. Vide ſis *Cap. 171. & 177.* Quo quidem agendi modo genuini Hiſtorici, cujus eſt nullum falſum dicere, nullúmque verum ſilentio ſupprimere, partibus egregiè defunctus eſt. Dolendum tantummodo Viri docti, pii ac de Auſtriæ

non

non immeriti nomen excidisse. Nam etsi id in Prologo quondam disserte legeretur, in eo tamen codice, quo usi sumus, nescimus, quo fato aut qua manu, nunc ita rasum conspicitur, ut ne unius litteræ vestigium quavis adhibita sagacitate deprehendi possit. Sed fatalis ejusmodi lacuna de pretio ipsius opusculi nihil admodum decerpit, in quo præterea nihil reperi, quod rectè acceptum cum Divinis Scripturis, Catholicæ Ecclesiæ dogmatibus & traditionibus, ac denique cum defæcatiore Theologia non consentiat.

V. *Caput 38.* in quo Agneti divinitus dictum refertur, *præputium cum Domino surrexisse in die resurrectionis*, haud dubiè nonnullos movebit, qui locum illum ex *Lib. VI. cap. 112. Revelationum S. Birgittæ* cum isthoc nostro attentiùs conferent. Ibi enim Sanctissima Deipara de præputio Filii sui in hunc modum disseerit: *Cùm Filius meus circumcideretur, ego membranam illam in maximo honore servabam, ubi ibam. Quomodo enim ego illam traderem terræ, quæ de me sine peccato fuerat generata? Cùm tempus vocationis*

tionis meæ de hoc Mundo instaret, ego ipsam commendavi Sancto Johanni custodi meo cum sanguine illo benedicto, qui remansit in vulneribus ejus, quando deposuimus eum de cruce. Post hoc Sancto Johanne & successoribus ejus sublatis de Mundo, crescente malitia & perfidia, fideles, qui tunc erant, absconderunt illa in loco mundissimo sub terra, & diu fuerunt incognita, donec Angelus DEI illa amicis DEI revelavit. O Roma, o Roma! Si scires, gauderes utique: immò si scires flere, fleres incessanter, quia habes thesaurum mihi charissimum, & non honoras illum. Hactenus revelatio Sanctæ Birgittæ de præputio Christi cœlitus facta, quæ sanè longissimè ab ea, quæ nostræ *Agneti* de eadem re obtigit, abludere videtur. Sed ut seponamus hic Virorum doctorum & Criticorum gladium, quo hujusmodi nodi Gordii nullo negotio secantur, si dicatur ex privatis piorum hominum visionibus controversas has facti, ac minimè necessarias, quæstiones decidi non posse, ac in illis plerúmque regnare species ac imagines rerum, quibus an-

antea piæ animæ imbutæ fuerunt, ut, inquam, ſeponamus nunc iſta, videntur hæ duæ noſtræ de præputio Domini in ſpeciem pugnantes revelationes ita conciliari poſſe, ſi, quod apud *Agnetem* de reſurrectione præputii interna vox nuntiat, de una aliqua ſolummodo parte præputii: Quod verò apud Sanctam Birgittam Divina Mater de ejusdem præputii in terris adſervatione aſſerit, de reliqua eáque fortè majore Dominici præputii parte accipiatur. Certè ſi *Franciſcus Suarez* apud *Bollandianos Tom. I. Act. SS. pagin.* 4. probabile cenſet, id, quod in circumciſione Domini reſectum eſt, in terris manſiſſe, corpus tamen reſurgens *habuiſſe præputium formatum ex aliqua parte materiæ illius, quæ aliquando fuerat in corpore Chriſti, & per continuam erat nutritionem reſoluta*: Cur non idem potiùs & commodiùs dicatur de aliquâ parte Dominici præputii, in terris adempti, quæ Divina virtute in reſurrectione ita tenderetur formare-

re-

returque, uti gloriosi corporis integritati (si tamen huic necessarium est præputium) congrueret, ad eum ferè modum, quo salva in omnibus Catholica fide de resurrectione ejusdem humanæ carnis, parvulorum etiam corpora *in mensuram ætatis plenitudinis Christi, id est, in statura hominis annos circiter XXXIV. nati, occursura* esse Ecclesiarum tenet traditio teste *Hieronymo* apud Eruditissimum *Augustinum Calmetum* è Benedictina Congregatione S. Vitoni *Tomo VIII. Comment. Litteral. in Divinas Scripturas pag. 440?* Vide de his plura apud laudatos Bollandianos. Universim hìc observaverim, dum hujusmodi Sanctorum virorum ac mulierum visiones & revelationes privatæ in publicam lucem efferuntur, nullius fidei jugum imponi, sed omnia isthæc, donec aliud universali Ecclesiæ visum fuerit, Divini Apostoli lege ac regula concludi: *Omnia probate: quod bonum est, tenete.* Cæterum omnia hujusmodi sine discrimine explodere, inter languentium muliercularum somnia & com-

commenta deputare, ad criticum unguem & humanæ duntaxat prudentiæ leges singulos apices revocare, sanè non nisi hominis frigidi, Divinam erga humanum genus bonitatem ignorantis, & carnali sapientia stolidè ferocientis esse puto.

VI. Quod generatim de omnibus peculiaribus piorum hominum visis & revelationibus ultimo loco monui, multò magis de *Pothonis* seu *Bothonis Libro Miraculorum Sanctæ DEI Genitricis Mariæ*, quem *Agnetis Vitæ ac revelationibus* ob argumenti similitudinem adjungo, accipi velim. Fuit is Presbyter & Monachus celeberrimi & doctis viris ab ipsa origine sua clarissimi Monasterii Prunveningensis, hodie Priflingensis O. S. B. propè Ratisbonam circa annum Christi MCLII. ut testis est *Guilielmus Cave Histor. Litter. pag. 586. edit. Genevensis anni MDCCV.* ubi tamen eum post *Alexandrum Brasicanum* aliósque Scriptorum Ecclesiasticorum Nomenclatores malè facit Monachum Monasterii *Prumiensis* in Diœcesi Tre-

)( )(ve-

verensi, id quod prolixè ac invictè demonstravi in *Dissertatione Isagog. ad Tom. I. Thesauri Anecdotorum Novissimi pag. XLII.* Ibidem plura *Pothonis* Opera ex *Johannis Lapilli Libro de Scriptoribus Eccles.* nondum edito, recensui, inter quæ tamen nihil adhuc typis exscriptum novi præter *Libros V. de Statu domus DEI, & unicum de Domo Sapientiæ*, qui primùm Hagenoæ anno MDXXXII. in 8. ac deinde in Bibliothecis Patrum prodierunt.

VII! Ad scribendum hunc, quem præ manibus hic habemus, Librum, *Potho* jam canis obsitus & *senex* accessit, quod ipse de se testatur *Cap. 37.* in quo quandam *visionem de Sancta Maria vidisse se, & quasi de alieno scripsisse* memorat, ac insuper *plura de Matre misericordiæ & ejus beneficiis, quæ ante annos quadraginta circa eum gerebantur, referre dignum ducit.* Quæ sanè Auctoris de ætate sua ac propria experientia assertio non nihil tranquilliores ac securiores nos de fide eorum, quæ refert, reddere possint, utut nonnulla profectò portentosa

&

& ſupra fidem poſita videantur, cujusmodi ea ſunt, quæ *capite 36. & 40.* prolixè denarrat. Fuiſſe tamen hoc Opus jam inde ab Auctoris ætate paſſim in manibus & deliciis hominum, ſatis intelligitur ex magna vi ac multitudine manu deſcriptorum exemplorum, quæ hodiéque in Germaniæ Bibliothecis a me conſpecta ſunt. Eundem hunc Librum *Eberhardus*, poſt medium ſeculum XII. Monachus, poſtea Abbas *Prunveningenſis*, *Arnoldo*, erudito ſodali ſuo commendavit cum precibus, ut eum amplius expoliret, ac elegantiore latinitate donaret. Rem *Arnoldus* ipſe his verbis prodit in Præfatione ad *Librum ſuum Primum de Miraculis Sanctæ Mariæ Matris Domini*, ubi poſt pluſcula ſic *Eberhardum* alloquitur: *Antequam ergo ſecundùm formam cœleſtis conſeſſus præparatio fieret ſedis veſtræ (ſiquidem æquè ad magna non perveniſtis niſi per magnos labores, quemadmodum per multas tribulationes oportet introire in regnum DEI) cùm nondum extendens manum*

Dominus apprehendit vos fluctuantem: ad me de miserationibus Matris misericordiæ quædam Capitula detulistis, eaque ut incudi redderem, & Librum inde eleganti stylo conficerem, supra posse meum exegistis. Tum subdit: *Ego me debitorem & devotionis amico, & servitii Dominæ non ignorans parui vestræ amicitiæ, servivi Matri luminis, prout datum est desursum a Patre luminum. Commendatum ab amico, reddo non jam amico, verùm Patri, verùm Domino. Enimvero pro amico deinceps jam Patrem vocabo vos, & post vos ingredi non cessabo. Quin etiam Dominum meum Dominus vos constituit, & omnes Fratres meos vestræ servituti subjecit &c.* Jam verò *Capitula* illa *de miserationibus Matris misericordiæ* nihil aliud, quàm præsentem *Pothonis* Librum fuisse, certissimum est ex ipsius Arnoldi Opere, in quo nihil ferè aliud legere est, quam quæ in medium affert *Potho* Presbyter, totúmque utriusque operis

Operis discrimen in eo versatur, quòd, quæ perenni atque æquabili oratione hic exponit, ille Dialogo interlocutricibus *Maria* & *Martha* prosequatur, omnemque laborem suum in quatuor Libros partiatur: cujus quidem partitionis nullum apud *Pothonem* vestigium deprehenditur, id quod primus observavit olim Admodum Reverendus, Religiosiss. & Clariss. D. P. *Robertus Leeb*, Inclyti Monasterii S. Crucis in Austria Ord. Cisterc. Professus & Bibliothecarius, nunc etiam meritô suô maximô Reverendissimus, Perillustris ac Amplissimus D. Dominus Abbas & Præsul, nostrorum studiorum amans, qui utriusque Operis apographum, sua perelegantî manu exaratum ex insigni membraneo suæ Bibliothecæ Codice, seculo XIII. haud inferiore, mecum perquam amanter communicavit, prætereàque accuratè notavit, Arnoldianum Opus in Codice suo non nisi triginta sex priora *Pothonis* capita Dialogo explicare, atque ad illius calcem haec a veteri Librario moneri: *Hic præcisa est & amputata pars hujus tertii*

tii Libri, & quartus Liber ex toto subtractus est. Alibi quæras, si poteris, hunc defectum. Nam hic omnino non invenies. Haec Doctissimus Praesul de Arnoldi Opere, quatenus in Bibliotheca San-Crucensi extat. Pluribus tum de Arnoldo tum de Pothone, tum denique de aliis Monasterii Prifflingensis Scriptoribus brevi, si DEUS faverit, in Bibliotheca Benedictina disputabimus.




APPRO-

APPROBATIO.

NOs Bertholdus, *DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ, Exempti Monasterii Mellicensis Ord. S. P. Bened. Abbas, facimus potestatem dilecto Nobis in Christo R. P.* Bernardo Petz, *ejusdem Nostri Monasterii Professo, Opusculum, cui titulus:* Vita & Revelationes Ven. Virginis Agnetis Planbekin &c. Pothonis Presbyteri & Monachi Priflingensis Liber de Miraculis B. Mariæ Virg. &c. *prius a duobus Nostris ad id deputatis Censoribus revisum & approbatum, typis commendandi. In quorum fidem præsentibus Sigillum nostrum appressimus, & manu propria subscripsimus. Actum Mellicii 3. Junii Anno 1730.*


(L. S.)

Bertholdus Abbas
Mellicensis.



PROLOGUS AUCTORIS.

In Vitam & Revelationes Ven. Agnetis Blannbekin.



Onfiteor tibi pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis: Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Verè Domine testimonia tua credibilia facta sunt nimis, quòd cum simplicibus sermocinatio tua, & quòd dixisti: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Nam tu parvulis & humilibus tuis arcana revelare dignaris, & cum simplicibus tuis, ductis in solitudinem internæ contemplationis, secreta mysterii tui loquens multifariàm multisque modis, sicut olim Patribus, in Prophetis, ad ædificationem & consolationem credentium, incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestas. Igitur venerandæ, adorandæ & amandæ majestati, veritati, & bonitati tuæ gratias referens, o beata Trinitas, ad laudem tuam, gloriam & honorem, & ad ædificationem fidei, &

 ad

ad nutrimentum devotionis, & ad divini amoris incrementum, ego pauperculus & indignus... * ea, quæ *à Sanctis & fide dignis personis*, te Domine eis revelante, *didici vel didicero*, conscribere cupio, te Patrem luminum invocans, à quo omne donum optimum, & omne donum perfectum est, ut mihi dare velis sedium tuarum astitricem sapientiam, ut mecum sit, mecum laboret, mecum scribat, ut scribam, quod acceptum sit coram te, & veritatis limites non excedam, Amen.

*Hæc penitus e codice erasa sunt.

Capitulum I.

De elementis, & creaturis, & rebus.

Facta manu Domini super unam sanctam personam post missam publicam in Ecclesia, cœpit suaviter viribus deficere, & intus rapta in lumen inenarrabile, vidit in lumine divino hominem speciosum præ filiis hominum, & in homine illo illud lumen: & in homine & in lumine divino vidit elementa & creaturas, & res ex ipsis factas, tam parvas quàm magnas, distinctas in tanta claritate, ut quælibet, quantumcunque parva, centies Sole clarior videretur, prout Sol modò lucet, etiam minimum granum vel lapillus: & claritas, quæ nunc est, in comparatione illius

lius claritatis obſcura cenſeretur, ſicut luna, cùm nube obſcura tegitur. Erant quoque res creatæ ſic diſtinctæ in claritate, ut unaquæque ſua qualitate diſcerneretur, videlicet granum viride à roſa rubea, & ſic de cæteris.

Inter omnia elementa & res creatas terra erat præclarior. Et hoc ideo, quia Deus corpus de terra ſumpſerat: & quia corpora Sanctorum ſunt de terra: & quia in paſſione Domini terra infuſa eſt ſanguine Salvatoris & Sanctorum. Hæc enim omnia erant in homine illo, id eſt, in Chriſto.

Cap. II.

De ſalvandis hominibus.

ITem vidit ibi omnes homines, qui adhuc vivunt ſuper terram; &, ſicut ipſa intellexit, non vidit ibi niſi ſalvandos: & omnes cognovit, quos etiam nunquam viderat. Vidit etiam illorum hominum converſionem & aſcenſum ad Deum, & qualiter primò ad Deum converſi ſunt: *& mihi retulit modum meæ converſionis, ſicut fuit.*

Cap. III.

De cunctorum hominum profectu.

VIdit etiam cunctorum hominum profectum in gratia, quem appellabat

 aſcen-

aſcenſum in Deum. Et iſti aſcenſus per modum graduum mirabiliter in altum porrigebantur. Vidit etiam nihilominus juxta has aſcenſiones virtutum ſemper aſſiſtere notitiam peccatorum, in quibus olim fuerant: & in illis manifeſtabatur DEI bonitas. Vidit de aſcendentibus quosdam ruituros in peccatum, & cauſam ruinæ, & modum, & iterum reſurrecturos, & qualiter reſurrecturi eſſent: &, licèt omnes in Chriſto & Deo eſſent, tamen alios aliis plùs familiares Deo & viciniores vidit.

Cap. IV.

De manſionibus & gloria electorum in patria.

IN prædicta viſione & lumine vidit manſiones & gloriam Electorum in patria, ſcilicet omnes in Deo conſiſtere & manere: &, quamvis omnes in Deo conſiſterent, alii tamen plus aliis Deo propinqui erant ſecundùm intenſionem amoris.

Cap. V.

De vulneribus Chriſti in generali.

VIdit Chriſti vulnera benedicta inenarrabiliter glorioſa, perlucida, & clara luce

luce fulgida, ita ut omnes electi ad ipsorum præsentiam essent lucis illius pervii & transparentes. De vulneribus capitis dixit, quòd multæ puncturæ essent, & quòd à singula punctura inenarrabile lumen Sanctis fluxit, ita quòd Electi potiùs vellent omni gaudio patriæ carere, DEI visione excepta, quàm carere intuitu vulnerum Christi beatorum.

Dixit de ista luce, quòd lux vulnerum millesies, id est, inæstimabiliter, excederet lucem Solis. Dixit, quod in aspectu hujus lucis, quidquid desideratur, quidquid quæritur, ibi invenitur & habetur.

Cap. VI.

De vulneribus Christi quinque in speciali.

VIdit, quòd vulnus manus dexteræ significat munera, quæ largitur Christus Sanctis hìc & in patria: Vulnus sinistræ manus tenet Sanctos: De vulnere laterali manat refectio spiritualis, desideratissima & dulcissima omnibus Sanctis in patria, & adhuc existentibus in via. Et quidam valde de prope, ore etiam usque ad latus posito, bibunt de torrente illo voluptatis. Dixit, quòd aliqui Viatores, adhuc viciniores lateri Christi aliquibûs in patria, nectar illud salutare bibunt.

Vulnere pedis dextri ſignificatur levitas, non ponderoſitas, ſive agilitas. Vulnere pedis ſiniſtri ſignificatur haberi gaudium & lætitiam, quod nos vocamus tripudium, non quòd ibi ſit tripudium vel chorea, ſicut importat hoc nomen apud nos convivia : Sed aliam ſimilitudinem dare non poterat.

Cap. VII.

De fide Catholica in patria.

DIxit, quòd in patria fides Catholica eſt lux, & lucet Sanctis, id eſt : Quantò plus quis habet nunc hìc de luce fidei, tantò plus habebit in patria de luce Divinitatis. Amor eſt præmium.

Cap. VIII.

De glorificatis in corpore.

VIdit multos in patria glorificatos jam in corpore : de novo teſtamento Beatam Virginem Matrem Domini, & ejus Paranymphum Beatum Johannem Evangeliſtam.

Vidit in plena gloria corporum & animarum de veteri teſtamento eorum, qui in reſurrectione Domini cum Domino ſurrexerunt, & ſunt in corpore & anima

ma jam glorificati, & præcipuè illi famosi Sancti in lege veteri, sicut Moyses & Jeremias, &c.

Cap. IX.

De prærogativis Beatæ Virginis.

VIrgo Beata habet tres prærogativas præ omnibus electis.

Prima est, quia ferventissimè DEUM dilexit, & diligit plùs quàm aliquis Sanctorum: & præ omnibus & super omnes in DEUM assumpta est, & de plenitudine sui amoris omnes electi participant & perceperunt initium suæ salutis, & conversionis, & adhuc existentes in via.

Secunda est, quòd ipsa est speculum Christi DEI, & ipse se in ipsa speculatur, sicut in speculo, cognoscens se carnem ab ea sumpsisse. Et quanquam omnes Sancti in patria suum gaudium habeant à DEO Christo, ipse tamen singulare gaudium habet à Matre Virgine ex eo, quòd se in ipsa speculatur, ùt dictum est.

Tertia est, quòd ipsa beata Virgo est constituta mediatrix inter DEUM & peccatores ad placandum Deum & reconciliandum: & ex hoc accrescit quotidie ei gloria ex his, qui ejus meritis & intercessione convertuntur, & in bono proficiunt.

Cap. X.

De coronatis Sanctis, & postea de Confessoribus.

VIdit Sanctos coronatos quòad præmium exterius diversimodè. Confessores enim habebant coronas, quæ circumdabant eos à pedibus & sursum, ita ut ex omni parte viderentur coronati. Et nihilominus eadem corona coronabat caput; & erat sic distincta in quatuor angulis, ita ut in anteriori parte aurea videretur, â tergo rubea, à dextris viridis, à sinistris cælestis coloris: qui colores merita Confessorum significabant.

Cap. XI.

De corona Martyrum.

COrona Martyrum tota erat rubricata, & in altum supra capita eorum suspensa, nec contingebat capita, sicut nec corona Confessorum, quamvis ex omni parte circumdaret eos, nusquam tamen eos contingebat.

Cap. XII.

De corona Virginum.

COrona Virginum erat varietate distincta & incredibiliter pulchra, & præcipuè

puè quatuor florum generibus ornata, scilicet rosis & liliis, violis & flore campi. Et ista magis erat propinqua capiti, nec tamen caput tangebat, sicut nec priores.

Dixit, quòd istæ coronæ formabantur in quolibet ex Divinitatis aspectu, & ex illorum mutuo respectu: Scilicet quòd se videbant à Deo intueri; & ex isto Deitatis intuitu in coronis eorum merita singulorum quasi scripta legebantur. Istæ coronæ significabant merita exteriorum exercitiorum. Unde, qui magis erant exercitati in statu suo, exteriùs plus habuerunt decoris & pulchritudinis in coronis. Merita autem interiora erant, ùt dicebat, secundùm intensionem charitatis. Præmia istorum meritorum erant major propinquitas & amicabilis familiaritas ad DEUM.

Unde dixit, quòd aliqui Martyres mutuò se excedebant secundum ista merita & præmia. Dixit enim, quòd aliqui plura & duriora passi aliis, plùs fulgidas haberent coronas aliîs etiam plùs familiaribûs Deo: & alios Martyres minùs aliîs passos, tamen cum majori charitate, plùs interiùs familiares esse Deo & propinquos, extrinsecus autem habentes coronas, non in tantum fulgentes, quantum fulgebant coronæ Martyrum plùs passorum, quamvis cum minori charitate.

Cap. XIII.

De corona duodecim ſtellarum Beatæ Virginis.

DE gloria Virginis Beatæ & Matris Dei dixit, quòd erat amicta ſole, & corona duodecim ſtellarum in capite ejus, & luna ſub pedibus ejus. Hæc ſic digeſſit. Dixit, quod non erant ſtellæ ſicut firmamenti, ſed alio nomine vel ſimilitudine non poſſunt exprimi: & illic in patria ſtellæ nuncupantur, & erant ſua claritate diſtinctæ ab invicem & ſignificationibus. Nam quælibet illarum ſignificabat ſingulares dignitates, merita, & virtutes Beatæ Virginis, quæ ex ipſo intuitu ipſarum ſtellarum intellectu conſpiciuntur.

Nam *Prima* ſignificabat, quia ipſa filia Patris æterni, & quòd Pater per ipſam haberet honorem propter multitudinem fidelium, qui per ipſam facti ſunt filii adoptivi gratiâ Dei.

Secunda exprimebat, quòd ipſa Mater Filii Dei æterni, & ipſius ad ipſam intimam dilectionem.

Tertia ſtella exprimebat, quòd ipſa Spiritus Sancti Sponſa, & magnam, immò maximam unionem cum Deo præ cæteris Sanctis.

Quarta

Quarta ſtella exprimebat, quia ipſa Regina Angelorum, & maximam, quam habent ſancti Angeli ad homines: *& quia per eam ex hominibus Angelorum ruina reſtauratur.

* Supple: unionem vel charitatem.

Quinta ſtella exprimebat, quia ipſa fuit ſanctorum Apoſtolorum regula, vita, & doctrina.

Sexta exprimebat, quia per ipſam fortitudo & conſtantia ſanctis Martyribus á Domino data eſt.

Septima exprimebat pietatem Confeſſorum, quæ propriè eſt virtus Confeſſorum, per quam multùm præmiantur, quæ ejus ſuffragiis datur.

Cap. XIV.

De proximitate Sanctorum Deo.

O*ctava* exprimebat caſtitatem Virginum, eò quòd ipſa inſtitutrix prima fuerit virginitatis, & copioſam habebat turbam ſe ſequentium in virginitatis propoſito. Et dixit, quòd Virgines proximæ ſunt Deo. Et dixit, quòd cæteri ſancti, qui fuerunt auctores & inſtitutores novarum ſocietatum, * ſicut Beatus Benedictus, B. Bernardus, B. Franciſcus, B. Auguſtinus, & B. Dominicus, præ cæteris Sanctis ſunt glorioſi.

* Cod. ſanctitatum.

Nona

Nona ſtella exprimebat beneficentiam, quam exhibet peccatoribus : & hæc ſtella circuibat in corona cæteris ſtellis fixis.

Decima gratiam & augmentum gratiæ, quam per ipſam percipiunt juſti. Unde dixit : ipſa eſt ſicut canale vel æquæductus , qua mediante Deus influit in electos , etiam in patria.

Undecima eſt auctoritas & poteſtas jure matris dandi beneficia præ cæteris omnibus Sanctis.

Duodecima exprimebat ſubventionem, qua ſubvenit his, qui in purgatorio ſunt. Nam, quotiens ejus agitur memoria in miſſis & in cultu divino, ipſa aliquas eripit animas de pœnis.

Amictus ſolaris eſt claritas divinitatis, quâ ipſa eſt circumdata velut amictu. Ipſa eſt enim plùs perlucida & pervia luce divinitatis, hoc eſt, Deitate, quam omnes Sancti.

Unde luna eſt ſub pedibus ejus. Quæ lux lunaris ſignificat , quòd quemadmodum luna eſt inferior ſole , ſic omnis claritas ſanctorum inferior eſt luce & claritate Virginis glorioſæ.

Cap.

Cap. XV.

De Angelis.

DE Beatis Angelis dixit, quòd ſunt immateriales, & in Deo. Sicut roſâ appoſitâ ſpeculo, roſa apparet in ſpeculo: Sic ipſi in ſpeculo divino ſunt. Verum & veram vitam habentes ardent in divino amore, & alii plus aliîs, & laudant Deum, & intuentur DEUM: in hoc habent maximum gaudium.

Aliud gaudium habent ex eo, quòd circa nos ſolliciti noſtram procurant ſalutem: &, quia ex hoc Deo honor, & nobis profectus ſalutis creſcit, ipſi de hoc gaudent. Ipſi enim ſic ſunt amici generi humano, quòd omnes parati eſſent venire ad terram pro una anima, ne periret. Et dixit: Quamvis ſancti Angeli intimi ſint Deo, & ardeant in charitate, tamen multorum Sanctorum charitas præcellit, & eſt ideo pretioſior, quia cum difficultate & pugna in charitate Dei profecerunt.

Cap. XVI.

De præcellentia Apoſtolorum (ante) cæteros ſanctos.

DIxit, quòd ſancti Apoſtoli cæteros Sanctos omnes præcellunt, excepto B. Jo-

hanne

hanne Baptiſta, & Beato Moyſe. Et cauſam dixit: quia Dominus in vita familiaris fuit, & cum eis loquebatur, & ex illa collocutione & convictu ipſi ſine intermiſſione ardebant præ charitate.

Cap. XVII.

De St. Paulo.

DE ſancto Paulo dixit, quòd ſit major inter Apoſtolos, exceptis tribus, ſcilicet Beato Petro, B. Johanne Evangeliſta, & B. Bartholomæo: quia B. Bartholomæus ferventiſſimo amore Chriſti paſſus eſt, & tam diu, & tam acerbè.

Cap. XVIII.

De Franciſco.

DIxit de B. Franciſco, quòd major ſit in conſpectu Dei exceptis Apoſtolis, & B. Johanne Baptiſta, & B. Moyſe. Dixit, quòd Beatus Franciſcus fortiſſimo & ferventiſſimo amore & ſeriosè Deum amavit: & quòd anima B. Franciſci habeat illa ſacra ſignacula: (&) quia fortiſſimè ardebat in amore Chriſti & interiùs in anima, apparenter inde in corpore reſultabant. Et dixit, quòd Sancti de hoc magnum habent gaudium: quia aliquis inter eos eſt in-

inventus, in quo relucent illa ſacra vulnera Chriſti.

Cap. XIX.

De luce egrediente ex vulneribus Chriſti.

DIxit, quòd lux de vulneribus Chriſti egrediens refulget in ſacra ſtigmata Beati Franciſci, & eisdem tantum ſplendorem miniſtrat, ſicut lux ſolis lunæ, quòd tota curia cœleſtis ex hoc jocundatur.

Cap. XX.

De B. Bernhardo, B. Dominico, B. Nicolao, B. Auguſtino, B. Gregorio, & St. Ambroſio, de Fratre Berchtoldo Ratiſponenſi, B. Hieronymo.

DIxit de B. Bernhardo, B. Dominico, & B. Nicolao, quia comparantur B. Johanni Evangeliſtæ in eo, quòd Deum tenerrimè & dulci amore dilexerunt, & quòd ſunt excellentiſſimi Sancti in cœlo.

Dixit de B. Auguſtino, quòd eſt maximum lumen in conſpectu Dei, & quòd actualiter capax ſit beatiſſimæ Trinitatis: & hoc ideo, quia hìc ingenium exercuit

&

& excoluit intellectum suum tanta fide & amore in Tractatibus de sancta Trinitate.

Dixit de B. Gregorio, quòd sit dilectissimus Sanctus, & quòd anima ejus sicut S. Stephani in hac vita extitit vas plenum Spiritu Sancto & dilectione Spiritus Sancti: & secundùm hoc in patria habet influentiam & amoris insignia.

Dixit enim, quod unusquisque Sanctorum, sicut in via dispositus extitit in gratia, ita in patria est præditus gloria.

De S. Ambrosio dixit, quòd, quia tanto Zelo amavit justitiam, ideo magnus est in gloria. Et adiecit, quòd Frater Berchtoldus de Ratispona non minor eo esset propter gratiam doctrinæ, quia docuit, & quia austerus in se extitit. Dixit enim, quòd austeritas vitæ magni meriti est apud Deum.

De Beato Jeronymo dixit, quòd luce Divinitatis insignitur, eò quòd tanto studio illuminavit sacram paginam.

Cap. XXI.

De laude vocali in patria.

DIxit, quòd esset in patria laus vocalis dulcissima, ita quòd unius Angeli cantus totam curiam cœlestem lætificaret, etiam si alii tacerent. Et hanc canebant omnes Angeli, & omnes electorum animæ

mæ, exceptis illis, qui gravibus peccatis involuti distulerunt pœnitere usque in finem vitæ, & sic morientes, tamen contriti, in igne purgatorio graviter sunt puniti, illi non habebant vocem laudis: & pueri infantes, qui nihil adhuc meruerunt, etiam vocem laudis non habebant. Pueri tamen, qui multa passi sunt in infirmitate (aliqui enim pueri duorum annorum vel trium & similes, graves aliquando tolerant infirmitates) isti habent vocem laudis. Nam pati in fide magni est meriti apud Deum, ùt dixit.

Cap. XXII.

De diversis vocibus canentibus in patria.

Item dixit, quòd non omnes una voce cantabant in patria; sed diversas voces & melodias intonabant, & alii aliis dulciùs resonabant: & hoc secundùm quod erant majoris meriti apud Deum.

Cap. XXIII.

De voce unius Angeli, & eorum voluptate scilicet, Angelorum & animæ Beatorum, & de eòrum motu.

ERat autem vox laudantium & jubilan-

tium non verbalis, & tamen ſignificativa ad intellectum: & erat tam ſuavis & tam jocunda, quòd ſi ſolùm unius Angeli vox in terris intonaret, ex hoc totus Mundus exultaret.

Dixit, quòd ſpiritus Angelici & animæ beatæ perfruuntur voluptate inenarrabili, à Deo in ipſos derivata, quâ continuè eorum deſideria innovantur, & novam ſemper voluptatem percipiunt, nulla facta novitate vel mutatione circa Deum.

Ipſa neſcit, utrum in hoc raptu fuerit in corpore, an extra corpus. Quæſivi, ſi animæ beatæ moverentur de loco in locum.

Reſpondit, quòd nullus ibi ſit motus. Quæſivi, ſi ipſa cum cæteris jubilâſſet, vel cantaſſet? Reſpondit, quòd non, & ait, quòd certiſſimè ſciret, quòd ſi contigiſſet eam cantâſſe, quòd ex hoc tantum fuiſſet gaudium animæ, quòd corpus ejus fuiſſet mortuum: quia vis illa vel pactum, quo corpus obligatur animæ ad ſervandum eam, omnino fuiſſet debilitata.

Quæſivi, ſi de illa contemplatione aliquid hauſtum ſecum attuliſſet? Ipſa devotè perfuſa lachrymis reſpondit humiliter, quòd ſic. Nam omnibus diebus vitæ ſuæ quantaſcunque viſitationes, Spiritus Sancti conſolationes & revelationes habuiſſet à Domino, ſemper tamen pulſabatur quo-

dam

dam metu & motu diffidentiæ, eò quòd ſui reputatione foret indigna tot & tantis donis, & etiam ingrata. Unde frequenter timuit, ne eam Dominus deſereret, vel graviter puniret.

Poſt hanc autem revelationem mirificam iſte metus ita eſt ablatus ab ea, ut, cùm ille metus vel leviter eam titillet, mox ſentiat in anima ſpiritualem quendam tactum, ipſam confortantem, quaſi dicat: nil timeas. Et dixit, quòd iſta confortatione Dei bonitas tanta ſuavitate ſe formet in anima ſua, ut redundet in ſenſus exteriores, & per totum corpus ſe dilatet, & circa præcordia ſentiat dolorem. Ego utique credo, Spiritum Sanctum tunc diffundi in corde ſuo.

Dixit etiam, quòd omnibus diebus vitæ ſuæ, quamvis deſiderio magno ferveret ad corpus Domini, ſemper tamen, quando debuit communicare, invaſit eam quidam timor, ut etiam quaterentur membra ejus & dentes ad invicem, quousque ipſa communicâſſet: poſt hanc vero revelationem tremor ille dimiſit eam.

Item dixit, quòd poſt iſtam viſitationem vel revelationem frequentiùs habeat revelationes à Domino & conſolationes ſpirituales, ita quòd ad minus ſemel infra diem naturalem. Item dixit, quòd priùs ſæpe habuit revelationes Domini, ſed ſu-

bitò ei à memoria recesserunt, quod & ego in ea expertus sum: post hanc autem visionem, quæcunque ei fuerint revelata, quando vult, reminiscitur.

Item dixit, quòd priùs delectabatur exteriùs in pulchris ornamentis altaris, & paramẽtis, & imaginibus, vel picturis Sanctorũ, eò quòd inde haurire soleret non modicas consolationes spirituales: post hanc autem visionem modò minùs curat illa propter majorem consolationem, quam introrsus haurit ex his, quæ in Spiritu videt. Ait enim, quòd, quando vult vacare contemplationi, convertit aciem mentis, ad quæcunque eorum vult, quæ ei revelata sunt in visione Domini. Dominus enim ei ita liberalis est & paratus, ut mox ei infundat benedictionem dulcedinis suæ, tanquam si quis leniter ad ostium pulsans mox intromittatur. Et persæpius accidit, ut ibi rapiatur in extasim, & exterioribus sensibus sopitis cor intus vigilet, & visio ei pandatur de illis, ad quæ se in principio contemplationis convertit. Aliquando in tali extasi, nova & priùs non visa revelantur. Est autem ista extasis subitanea.

Hæc omnia suprà dicta, una visio est.

Cap.

Cap. XXIV.

De quinque generibus operum in hominibus.

ALiam quoque viſionem vidit in Spiritu. Et ecce DOMINUS JESUS apparuit indutus Dalmatica cœleſtis coloris valde lucidi, & operabatur quinque genera operum in hominibus. Alios pingebat, & alios veſtiebat, alios augebat, alios minuebat, alios cibabat. Hæc opera ſingula faciebat, primò in uno homine, ita quòd primò viſus eſt unum ſolum depingere, unum ſolum veſtire, & ſic de ſingulis. Poſtea hæc eadem opera faciebat in infinita multitudine hominum: & in aliquibus hominibus tantùm unum opus exercebat, in aliquibus duo, in aliquibus plura, id eſt, aliquando tantùm depingebat, aliquando depingebat & veſtiebat, & ſic de cæteris.

Hujus viſionis intellectus datus eſt ei.

Pictura ſignificat mentis renovationem. Sicut enim pictor ſculptile vetus ſuperductis coloribus renovat: Sic Chriſtus peccatorum mentes. Veſtitus ſignificat virtuoſa & ſtrenua opera, ſcilicet abſtinentiæ, vigiliarum, & ſimilium. Unde dixit mihi de quadam Nobili, quam novi,

quæ erat magnæ ſanctitatis, quòd apparuit veſtita veſtimentis eburneis, & oculos habebat ad modum flammarum ignis, & erant veſtimenta varia & diverſa, quibus (eam) Dominus veſtiebat. Quòd autem aliquos augebat, ſicut qui ad maſſam auri aliquam partem auri adglutinaret, ſignificat augmentum & additamentum gratiæ. Quòd verò quosdam minuebat, ſignificat, quod quibusdam propter ſuam deſidiam & remiſſionem ſubtrahit gratiam. Quòd etiam cibabat aliquos, ſignificat ſpiritualem refectionem internæ conſolationis. Hæc verò quinque opera Dominus continuè faciebat.

Hæc me audiente, venit mihi in memoriam illud verbum ſalvatoris: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Multos homines, quos priùs novit, in hac viſione vidit, & quæ Dominus in eis operabatur, cognovit.

Quòd autem hæc opera Dominus in principio tantùm in uno operatus eſt, & poſtea ſimul in multis, ſignificat, quòd Dominus ita ſollicitus eſt pro ſalute unius, ſicut multorum, ita quòd ſi non eſſent niſi unus homo in Mundo, tanta charitate, tanta fidelitate & ſollicitudine operaretur ſalutem unius, ſicut modò multorum ſalutem operatur.

Cap.

Cap. XXV.

De tribus cœlis.

IN die Sancti Nicolai, quando communicaverat de corpore Domini, & vacare vellet contemplationi, in eadem Ecclesia subitò facta est super eam manus Domini, & apparuit ei Christus Pontificalibus indutus, & ostendit tres Cœlos. *Fortè Anno Domini 1190.*

Primum fuit Beatissimæ Trinitatis. Quod cùm ei ostenderet, lux immensissima emicuit, ei quidem intolerabilis, subito disparens quasi in ictu oculi, remansit tamen, in qua sibi apparuit Christus. Nam omnes apparitiones sive revelationes ei factæ sunt in luce delectabili.

Secundum cœlum fuit mansio Beatorum.

Tertium cœlum fuit anima justa & sancta adhuc in corpore existens. Et audivit vocem dicentem sibi: *Omnia, quæ vidisti, & gloria Sanctorum, sicut una gutta aquæ in comparatione maris est, sic sunt omnia, quæ vidisti, in comparatione eorum, quæ nondum vidisti: & sicut una gutta est respectu maris, sic est omne gaudium, quod habent omnes, qui sunt in cœlo in comparatione gaudii Dei, quo semper in se gaudebat, & gaudet.* Delectatur nihilominus in cœlo tertio, id est, in anima sancta, quæ adhuc tantis cir-

cumdata est infirmitatibus, & tamen DEUM sic diligit, & placere studet totis viribus.

Cap. XXVI.

De tribus stationibus, scilicet de coquina & apotheca & de instita Dei vel Christi.

DEinde apparuit ei Christus in eadem visione Pontificalibus indutus, ùt dictum est, præter Casulam, & erant paramenta cœlestis coloris, infula auro fulgebat & gemmis, & habebat tres stationes, & multitudinem hominum circa eum, quasi totus Mundus. In statione una habuit coquinam, ubi ipse solus paravit cibaria: in alia statione habuit apothecam cum aromaticis speciebus, ubi ipse solus conficiebat medicinalia: in tertia statione habuit institam, ubi sicut institor exposuit diversa mercimonia. Et ad quamlibet istarum homines veniebant, ut acciperent de his, quæ ibi erant, ita ut ad coquinam venirent pro cibariis, ad apothecam pro medicinis, ad institam pro mercimoniis. Et quidam inde omnino repellebantur, & negatum est, quòd nihil eis daretur: Alii induciati * non statim, quæ volebant, acceperunt: Alii statim sine difficultate habuerunt, quæ eis necessaria

* i. e. dilati

ſaria fuerunt. Hujus viſionis intellectum ipſa, quæ vidit, intellexit.

Cap. XXVII.

De ferculis coquinæ.

IN coquina CHRISTUS cibaria præparabat.

Primum ferculum fuit nimirum de ſpeciebus calidis & aromaticis: & ſignificat devotam memoriam paſſionis Chriſti cum vehementi compaſſione. Ibi, ut dixit, inflammatur anima & ignitur, & in illa inflammatione compaſſionis induit quandam DEI ſimilitudinem.

Secundum ferculum fuit quaſi lacteum, id eſt, quaſi de lacte amygdalino, & ſignificat dolorem & compaſſionem ſuper peccatis proximi. Nam lac ſignificat quandam dulcedinem compaſſionis.

Tertium ferculum fuit quaſi butyrum, quod de ſe eſt cibus dulcis, & condit ómnes alios cibos, & facit ſaporoſos: & ſignificat orationem, quæ in ſe dulcis eſt, & ad omnia valet.

Salſamentum etiam paravit DOMINUS, quod conſiſtit ex aceto, quod ſignificat timorem Dei: item ex herbis virentibus, quæ ſignificant multimodam gratiæ innovationem in anima devota:

item ex pulveribus aromaticis, & significant divinam consolationem.

Cap. XXVIII.

De medicinalibus apothecæ.

IN secunda statione habuit apothecam, in qua habuit medicinalia, quæ ipse confecit, & fuerunt duo genera. Quædam enim juvant sanitatem spiritualem, quæ sunt tria. Habuit enim & dedit quibusdam potionem inducentem somnum, quæ significat gratiam Sancti Spiritus, quâ potatus homo mundo dormit per contemptum, ut, quæ mundi sunt, non curet, sicut dormiens sensibus sopitis nihil sentit.

Habuit secundò stomachaticum* confortativum, & significatur vigoratio bonæ voluntatis, & executio virtuosæ operationis, quam DOMINUS administrat.

* *Cod. Stomaticum.*

Tertiò habuit, & dedit pulverem quendam dulcem & delectabilem, qui omni hora quandocunque sumi potuit, & significat degustationem devotionis, qua Deus omni tempore degustari potest.

Item erant ibi multi infirmi diversi generis infirmitatum, quorum quilibet ibi reperit medicinam congruentem sibi. Et tantùm tria genera infirmorum propter tæ-

tædium vitandum dicam. Apparuerunt enim quidam leprosi, quidam hydropici, quidam cæci. Et datum est intelligi, quia leprosi significarent luxuriosos, hydropici avaros, cœci superbos. Contra lepram dabat aquam diversarum manierierum * de diversis herbis virtute ignis extractam, verbi gratia, sicut de rosis, violis, & similibus, & significat confusiones varias, quas incidunt luxuriosi, quibus revocantur & corriguntur à lepra luxuriæ.

* *i. e. specierum seu modorum.*

Contra hydropisim, id est, avaritiam, dabat stomachaticum* laxativum: & significat damna rerum, & amissionem & infelicitatem temporalium, quibus sæpe avari curantur.

* *Cod. stomaticum.*

Contra cæcitatem, id est, superbiam dabat electuarium desiccativum, quod significat pressuras infirmitatum & adversitatum, quibus superbia sæpe curatur.

Cap. XXIX.

De mercimoniis institæ Christi.

ITem in statione tertia erat instita, ubi erant merces variæ, è quibus aliquas dicam. Erat enim ibi aurum, quod significat amorem divinum. Erant ibi lapides & gemmæ pretiosæ, quæ significant perfectionem amoris divini. Erant ibi jocalia, * ùt annuli & similia, quæ significant pres-

* *i. e. monilia, &c.*

pressuras, quas Dominus dat suis in hoc Mundo. Erant ibi vestes pretiosæ, & duo genera vestium, scilicet pallia & tunicæ. Duo genera palliorum ibi erant, videlicet pallium album & candidum, quod significat exemplum sanctæ vitæ. Pallium rubeum erat etiam ibi, quod significat dejectionem & abjectionem, quâ homo aliquando absque culpa apud homines abjicitur & vilificatur, ùt sunt opprobria, calumniæ, sicut fuit dictum Domino: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Et istud pallium accommodabat Dominus ad tempus, & non dabat, quia hominem tandem liberat. Erantque ibi duo genera tunicarum, una viridis, altera coloris varii: Prima significat austeritatem vitæ, & altera virtutum varietatem.

Quod autem aliqui venientes omnino repellebantur, & eis omnino negatum est, sicut dictum est suprà, significat illos, qui sunt omnino gratia Dei indigni, suis exigentibus culpis. Quòd autem aliquibus non omnino negatum est, sed induciati sunt cum dilatione, significat illos, qui gratia Dei in præsenti fuerunt indigni, sed in futuro digni erunt statu pœnitentiæ. Quòd autem alii statim acceperunt, quod voluerunt, significat illos, qui jam dispositi gratiam Dei requirunt. Et dixit, quòd de nullo genere peccatorum tot repul-

si

ſi ſunt vacui, ſicut de genere ſuperborum.

Cap. XXX.

De defectibus & peccatis ſingularium perſonarum.

IN nocte quinta Nativitatis Domini, novo genere viſitationis Dominus eam viſitare dignatus eſt. Cùm enim ſola in Oratorio ſuo horas matutinales Deo perſolveret in media nocte, ſicut ſolita erat, ſenſit & audivit intra ſe in pectore vocem ſerenam, lenem & dulcem: in cujus vocis exordio ſenſit quandam dulcedinem evaporantem furſum, & in illa dulcedine vocem audivit verbotenus vocantem eam nomine ſuo.

Cœpit autem hæc vox enarrare defectus & peccata ſingularium perſonarum, modò Religioſorum, modò Secularium, modò Principum, modò Baronum. Ipſa horrens hæc audire recuſavit, & medio tempore ipſa Matutinum legebat: &, quamvis horror eſſet ei audire iſta, ſenſit tamen in anima non modicam ſuavitatem.

Mirabatur nimis, unde hæc vox eſſet, & ſi eſſet à Deo, cur ei talia revelaret: nihil loquebatur, ſed tacita cogitabat. Et poſtmodum edocta eſt in alia revelatione in-

infrà ſcripta, quòd Dominus hoc feciſſet, ut compateretur Domino ſuper tantis injuriis, & ingratitudine ſibi ab his irrogatis, quibus ipſe tanta bona præſtitiſſet, & ut ipſa ſic afflicta mereretur conſolatoria audire. Et durabat illa revelatio, qua ſic anguſtiabatur, benè tam diu, quamdiu Matutinum à Fratribus cantaretur.

Cap. XXXI.

De virtutibus & meritis multarum perſonarum.

Deinde iterum vocavit eam nomine ſuo, & enarravit ei Dominus virtutes & merita multarum perſonarum ſingularium, modò Religioſorum, modò Prælatorum, modò ſecularium, ſicut priùs narraverat defectus. Et cum alicujus virtutes commendaret, nominavit illum nomine novo. Unum nominavit & vocavit *Luciferum*, narrando ejus virtutes. Alium vocavit *Auroram*, alium vocavit *Planetam*, *& Stellam currentem & lucentem cum Sole*. Alium vocavit *Laudem Dei perfectam*. Alium vocavit *Vocem, in qua me ipſum perpetuò laudo*. Alium vocavit *Lucem, Sole Divinitatis illuſtratam, & Lucem, in qua luceo mihi ipſi*. Alium *Dapiferum Domini* vocavit. Alium vocavit *Pacem Dei*: Alium vocavit *Lucem, quam ego ipſe incendi.*

di. Alium personam vocavit *Spiritum Spiritus mei*, id est, Spiritus, qui à meo Spiritu vivificatur, & à meo Spiritu habet, quidquid habet. Alium vocavit *Laudem, in qua mihi ipsi benè placeo.* Alium vocavit *Vocem, quæ me continuè laudat.* Alium vocavit *Vocem gratiæ, cui addam gratiam:* Alium vocavit *Sonum dulcem, qui me frequenter laudat.* Alium vocavit *Contentionem*, id est, einen Chriek, * *in qua me seriosè servo.* Alium vocavit *Lumen, quod sæpe extinguitur, & sæpe reincenditur.* Alium vocavit *Lucernam, quæ continuè lucet.* Alium vocavit *dulcem Fistulam laudis de me, sed modicum in se fructum.* Alium vocavit *Gratiam cum Gratia:* alium *perfectam Dilectionem*, & alium *Vitam in Domino.* Alium vocavit *Spiritum, in quo mihi complacui:* Alium *Lumen lucens mihi coram Patre meo:* Alium *Justitiam perpetuò viventem.*

* *Verba Germanica, bellum significantia*

Cap. XXXII.

De Sacerdotibus celebrantibus diversis intentionibus, scilicet de indignis & devotis.

INter cætera, quæ dixit Dominus, commendavit oblationem Sacramenti Altaris, comparans elevationem manuum sacerdotis in Altari elevationi manuum Moysi

Moysi in monte, quando Israël pugnabat contra Amalech.

Distinxit autem inter sacerdotes offerentes. Nam dixit, quòd alii Missas dicunt causa timoris, quia eis injungitur, & non audent aliud facere: alii verò, ne habeantur suspecti. Hos in sua oblatione non commendavit.

Alii offerunt causâ devotionis, & isti in sua oblatione merentur in commune Ecclesiæ triplicem fructum.

Primò, quia meritô oblationis suæ impediunt peccatores & malefactores, ne possint perficere omne malum, quod cogitaverunt facere.

Secundò pœnitentibus merentur facilitatem veniæ, ita quòd eis Dominus faciliter indulget, & satisfactionem modicam acceptat.

Tertiò promovent bonos in gratia, & ad majorem gratiam.

Cap. XXXIII.

*De dignè * celebrantibus.*

* Cod. dignis.

ITem dixit Dominus, quòd dignè offerentes merentur sibi ipsis triplicem gratiam.

Primò, quòd Diabolus non potest eos præcipitare in aliquod peccatum, nisi se ipsos velint præcipitare: unde magnam vir-

virtutem percipiunt contra Diabolum & ejus tentationes.

Secundò, quidquid ſua oblatione merentur aliis, ſicut jam ſuprà dictum eſt, hoc eis ita appropriatur in meritum, quòd ſpecialiter de hoc præmiabuntur.

Tertiò, quòd DEUS ipſe erit eorum merces & præmium.

Cap. XXXIV.

De una voce, quintupliciter laudem ſalvatoris exprimente.

IN Circumciſione Domini, cùm communicâſſet, ſenſit & audivit intra ſe vocem, 1291.
non verbalem nec ſyllabicam, tamen divinæ laudis expreſſivam. Cognovit quoque, quòd erat vox cœleſtis, qualem audierat in raptu primæ viſionis hujus Libelli: & intellexit in hac voce quintuplicem laudem Salvatoris.

Prima laus fuit propter hoc, quòd DEUS factus eſt homo, & propter omnia, quæ in humanitate geſſit propter homines.

Secunda propter operantem gratiam, quâ continuè operatur in juſtis.

Tertia propter patientem expectationem, quâ peccatores expectat.

Quarta propter multiplicia beneficia præstita peccatoribus, ut eos ad se alliciat, & quibus eos ad se vocat.

Quinta propter hoc, quia se ipsum homini donat.

Cumque hæc audiret, volvebat in cogitatione dicens: Domine, quidquid fuerit, & undecunque fuerit illud, quod pridie audivi, scio quòd hoc, quod modò audio, non potest esse, nisi à te, cùm adhuc sentiam corporaliter influentiam consolationis tuæ, quâ me consolari consuevisti in perceptione sacri Corporis tui. Unde nulla potest hic esse deceptio. Hæc ea cogitante, audivit iterum vocem dicentem sibi: *Paupercula, quid dubitas, habens à me tot indicia veritatis? Ego ipse sum, qui loquor, qui olim locutus sum per os Prophetarum. Quemadmodum Moysi locutus sum in rubo, & hoc non erat ex virtute aliqua rubi: Sic, quod tibi loquor & in te, meum donum est, non tua virtus vel meritum.*

Cap. XXXV:

Sermo DEI de communicantibus.

ET quoniam communicaverat ipsa eadem hora, adiecit DOMINUS loquens de illo, qui dederat ei Corpus Domini, ipso adhuc stante in Altari: *Iste, iste comedit me, & ego eum totum comedo in me: iste,*

iste

iſte dat me, & cui me dat, illi me totum ego do. Tunc ipſa cogitavit? Eja DOMINE, das tu te omnibus, quibus ipſe te dat, & habuit? Reſponſum eſt, quòd non omnibus. Item ait DOMINUS: *Iſte, iſte me laudat in ſe, & ego eum laudo quotidie coram Patre meo.*

Cap. XXXVI.

De procuratione Angelorum, & de virtute Sacramenti.

ADdit quoque Dominus de Sacramento Altaris dicens.

Primò, quàm magno deſiderio ferveat ad animas, unde ſe ipſo illas cibat.

Secundò, quòd per iſtud Sacramentum operatur augmentum gratiæ in bonis, & quòd multa millia Angelorum ibi aſſiſtunt, qui ſollicitè procurant bonum hominum, nuncii exiſtentes inter DEUM & hominem.

Tertiò, hoc Sacramentum operatur converſionem peccatorum.

Quartò operatur magnum remedium animarum in purgatorio, ita ut aliquæ liberantur de pœnis, & aliquæ remiſſiùs habeant.

Cap. XXXVII.

De præputio DOMINI.

Ista persona solita erat quasi à juventute semper in die Circumsionis anxiè deflere ex magna cordis compassione effusionem sanguinis JESU CHRISTI, quem sic tempestivè initio suæ infantiæ effundere dignatus est. Quod & fecit modò, quando facta est ei revelatio jam dicta, quando communicaverat in die Circumsionis.

Sic quoque compatiens & flens cœpit cogitare de præputio DOMINI, ubi esset. Et ecce mox sensit super linguam suam parvam pelliculam ad modum pelliculæ ovi cum præmaxima dulcedine, quam deglutivit. Quam cùm deglutîsset, iterum pelliculam sensit in lingua cum dulcedine, uti priùs, quam iterum deglutivit. Et hoc accidit ei benè centum vicibus. Et, cùm toties sentiret, tentata est digito eam attingere. Quod cùm vellet facere, illa pellicula de se in gutture descendit. Et dictum est ei, quòd præputium cum Domino surrexit in die Resurrectionis. Tanta fuit dulcedo in degustatione hujus pelliculæ, quòd in omnibus membris & membrorum Articulis sensit dulcem immutationem. In ista revelatione fuit tota inte-

teriùs plena lumine, ita ut se ipsam totam conspiceret.

Et quoniam Sacramentum DEI abscondere bonum est, ista persona revelationes sibi à Domino factas mihi, *qui eram suus Confessor*, licèt indignus, timuit revelare, & sæpe proposuit in animo nihil mihi ampliùs dicere. Et quotiens hoc firmiter proponeret, tunc incepit infirmari, ita quòd non potuit tacere, Domino hoc volente. Ego quidem nimiùm consolabar super eo, quòd Dominus dignatus est sic se homini manifestare, & multùm ardebam audire. Et ipsa retulit mihi, quòd quadam die volens communicare, & jam tempus præterîsset, quòd non sperabat alicubi communionem se posse habere, ipsa rogabat Dominum in corde suo dicens: Domine, si est tuæ voluntatis, quòd ea, quæ tu mihi dignaris revelare, ego communicem Fratri Confessori meo, provideas mihi hodie de corporis tui sacra communione, & hoc sit mihi pro signo. Et sic venit ad quoddam monasterium, & post publicam missam venit Capellanus illius Cœnobii, qui ob aliquam causam neglexerat dicere Missam, & valde tardè præter solitum celebravit, & dedit ei communionem Dominici corporis.

Cap. XXXVIII.

De tribus donativis repromissis scribenti Libellum.

ET ibi mox facta est super eam manus Domini, & inter cætera habuit in revelatione, quòd Dominus mihi scribenti ea, quæ ab ipsa habui, repromisit tria: Primum, quòd nunquam tentatio aliqua mihi prævaleret: Secundum, quòd Dominus vellet mihi augmentum suæ gratiæ dare: Tertium, quòd Dominus vellet se ipsum mihi dare in præmium.

Item quarta die ante Epiphaniam Domini, cùm adhuc timeret mihi revelare visitationes Domini, sub Missa rogavit Dominum dicens: Domine, si tibi placet, ut revelem Confessori meo ea, quæ mihi ostendere dignaris, tunc da mihi hoc pro signo & testimonio, scilicet ut sentiam illam consolationem, quam in die Circumcisionis de pellicula tui præputii sensi. Si non dederis mihi hoc, quod tunc dedisti, hoc erit signum, quòd tibi non placeat: & ego volo potiùs recedere de civitate, quàm ut aliquid sibi ampliùs communicem. Et ecce quanta bonitas Dei & inenarrabilia mirabilia ejus! Mox enim sensit super linguam pelliculam cum tanta dulcedine, ut sentiret corporis & spi-

ſpiritus immutationem, ſicut acciderat ſibi in die Circumciſionis. Et quamvis tot indiciis confortata à Domino, tamen quaſi ſemper cum timore & verecundia mihi referebat, & exacta à me precibus frequenter.

Reputabat enim omnino ſe indignam tantis donis Domini, & cum humilitate ſe dejiciebat, quòd ego multùm conſolabar ſuper revelationibus ſibi factis, memorans illud Beati Gregorii : *Mens humana, &c.*

Cap. XXXIX.

De ſanctitate vitæ ſuæ, ſcilicet hujus puellæ, de qua iſte Libellus tractat.

CErtificabat etiam me ſanctitas vitæ ipſius, quoniam ab exordio juventutis Domino devotiſſimè ſerviebat. Cùm adhuc juvencula eſſet, nunquam cum ludentibus ſe miſcuit, ſed aliis puellis ad ſolatia puerilia convenientibus, ipſa domi remanens, Patrem DEUM exorabat in abſcondito. Spiritu Sancto eam docente, cœpit ſe abſtinentia mirabili affligere, ita ut, quæcunque ponebantur, comedere ſe ſimulans, pio furto ſubtraheret, & devotis pauperibus erogaret. Sicque vim naturæ faciendo, tanta fame cruciaba-

tur, ut frequenter seorsum amarissimè fleret.

Hoc cruciatu famis voluntariæ propter Deum benè per decem annos actitabat, incipiens, cùm septem foret annorum. Carnes per triginta annos vix ad unum comedit pastum. Omni die jejunavit præter Dominicum diem. Dixit, quòd nunquam cum delectatione gustûs cibum sumeret, & quòd sæpe flevit pro eo, quòd oportuit eam manducare corporalem cibum. Et, quoniam sibi tanta austeritate carnis delitias subtraxit à juventute sua, Dominus ei spirituales delitias liberalissimè ministravit, sicut per plura exempla infrà posita patebit.

Cùm enim esset annorum undecim, devotione magna flagrabat ad Corpus Domini. Quod cùm accepisset, sensit corporaliter in ore dulcedinem inenarrabilem, &, sicut retulit, quòd omnis dulcedo creata in comparatione illius dulcedinis esset sicut acetum in comparatione mellis.

Putabat tunc, quòd hanc dulcedinem sentirent omnes communicantes. Et, cùm audiret, quôd aliqui sacerdotes carnis illecebris se darent, mirabatur, quomodo unquam possent tanta dulcedine contempta talibus delectari sordibus.

Festi-

Festinabat quoque eò citiùs fieri Begina, * ut posset sæpius communicare. Hujus quoque saporis dulcedinem & suavitatem, quando communicat, sentit: & non solùm dulcedinem gustu corporali sentit, sed etiam in anima miram spiritualem suavitatem. Ego verô fui memor illius promissi Domini in Apocalypsi: *Vincenti dabo manna absconditum.* Et illius verbi Deuteronomii: *Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu & Patres tui:* quia verè hæc in ea completa sunt.

* *Begina seu Beghina erant Virgines DEO verè ac sanctè famulantes, colebantq; genus vitæ inter Monasticum & seculare medium. Vide de his plura apud Carol. Cangium in Glossar. med. & infim. Latin. verbo: Beghina.*

Similiter dixit mihi Frater Otto de Ordine Fratrum Minorum. Ipse quidem, ut ait, cùm forsan esset annorum octodecim, totus simplex in domo paterna, nutritus inter simplices & silvestres in rure, cogebatur, ut in Pascha acciperet Corpus Domini.

Ipse adhuc quidem immunis ab omni peccato mortali, inconfessus, sed in magna simplicitate, communicavit. Et mirabile dictu, & magna fidei nostræ consolatio! Statim, cùm sumpsisset Corpus Domini in os, tantam sensit dulcedinem & suavitatem in gustu, quòd mellis & balsami vinceret suavitatem. Et reputans, quòd semper deberet sentire dulcedinem talem, cùm communicaret, cum desiderio expectabat Festum Paschæ anni sequen-

tis, ut iterum Corpus Christi acciperet: Sed tunc non sensit.

Est adhuc magnum nostræ fidei & devotionis solatium, quòd ista puella, de qua superiùs locutus sum, frequenter, quando audit Divina in Missa, horâ communicationis sensit corporaliter in ore dulcedinem similem supradictæ, & nihilominus animæ & cordis inenarrabilem suavitatem. Et, si contingeret aliqua die, quòd Dominus ei illam consolationem subtraheret: (raró, tamen interdum, accidit,) tunc nimiùm desolatur.

Cap. XL.

De osculationibus Altarium hujus puellæ.

EST & aliud mirabile, non minus isto. Consuevit ista puella devotionis causà deosculari Altaria, in quibus illa die Missa est celebrata. Et tunc tantam sensit odoris fragrantiam, quasi ad modum similæ calidæ suaviter redolentis, sed incomparabiliter suaviùs. Et dixit, quòd aliquando in sero iterum deosculata est Altare, quærens refici illo suavissimo odore. Tunc adhuc sensit, sed non sicut in mane, quando Missa recenter fuit ibi dicta. Et, quod est valde mirabile, dixit, quòd aliquando in odore cognovit, quis Frater ibi Missam dixisset.

Cap.

Cap. XLI.

De quodam Sacerdote, qui unam virginem defloravit, & sic Missam, celebravit.

MAgna devotione fervebat ad Corpus Domini: omni ſeptimana communicabat. Unde ei Dominus mira & magna de hoc Sacramento oſtendere dignatus eſt. Cùm enim eſſet adhuc juvencula forſan ſexdecim annorum, accidit hoc horrendum piis auribus, quòd, cùm quidam Sacerdos in nocte unam virginem deflorâſſet in villa, ubi & iſta puella manebat, in die ſequenti Miſſam celebraret propter funus, quod habebat. Et, cùm eſſet dies fori, pauci homines aderant præter devotas Beginas. Et, quoniam crimen publicum & notum erat, omnes horrebant audire Miſſam Sacerdotis illius. Et omnibus recedentibus illa dixit dolens: Ego volo hodie eſſe Maria Magdalena. Et rogavit Dominum dicens: Domine, rogo te, ut, ſi iſte eſt de numero ſalvandorum, non permittas eum tuum Sacratiſſimum Corpus ſumere. Et ecce poſt *Pater noſter* in Miſſa ipſa ſenſit & habuit hoſtiam veraciter in ore, & deglutivit cum tanta dulcedine, quanta conſuevit communicare. Sacerdos verò, quando debuit ſumere cor-

corpus, respexit hinc inde in Altari sic, quasi aliquid amisisset.

Accidit autem post plures annos, quòd Dominus eundem Sacerdotem percussit morbo caduco: Sicque factus inutilis & inhabilis Sacerdotali officio, & quasi surdus factus, devolutus est ad tantam miseriam, ut stipem acciperet cum aliis mendicis ostiatim. Miserante Domino, qui nullum vult perire, factus est adeò devotus & contritus, ut per totam diem sederet in ecclesia in oratione. Et, cùm benè potuisset habuisse aliquem DEUM timentem, qui ei victui necessaria tribuisset, ipse renuit, & elegit potiùs in tanta mendicitate inter notos vivere, & sic duram pœnitentiam agere. Sic quoque degens tribus annis & dimidio vitam feliciter finivit.

Cap. XLII.

De elevatione Corporis Domini a quatuor digitis, a quatuor imaginibus, & significationibus eorum.

SÆpissimè sub Missa fiebat in extasi, ubi arcana sibi pandebantur. Una vice sub Missa in extasi vidit Corpus DOMINI elevari à quatuor digitis à quatuor imaginibus. Apparuit enim ibi Beata Virgo, quæ uno

uno digito attingebat hoſtiam : alia fuit imago Simeonis ſenis, etiam uno digito attingens, hoſtiam. Apparuit etiam ibi Crux, etiam habens unum digitum. Apparuit etiam ibi unus aſinus cum uno digito. Et quoniam iſta quatuor, ſcilicet Beata Virgo, Crux ſancta, S. Simeon, & aſinus Dominum corporaliter portaverunt in Mundo, ibi myſterialiter portabant. Et dixit, quòd iſtæ figuræ ſeu imagines vitam habere videbantur præter Crucem.

Et datum eſt ei intelligere, quòd iſti quatuor digiti quatuor genera hominum ſignificant, qui Corpus DOMINI communicant. Digitus Beatæ Virginis ſignificat Sacerdotem celebrantem: quoniam, ſicut Beata Virgo Salvatorem corporaliter Mundo obtulit & præſentavit: Sic ſacerdos celebrans ſacramentaliter confert ipſum & alia Sacramenta hominibus. Et hic fuit index dextræ manus.

Digitus Crucis Sanctæ ſignificat illos, qui cum devota memoria paſſionis ſumunt Corpus DOMINI. Et iſte fuit pollex dictæ manus.

Digitus ſancti Simeonis fuit index manus ſiniſtræ, & ſignificat ſimplices & deſiderium pium ad Chriſtum habentes. Digitus quartus fuit pollex manus ſiniſtræ, quem aſinus extendit, & ſignificat peccatores,

tores, qui non percipiunt fructum Sacramenti, nec gratiam.

Cap. XLIII.

De quodam Sacerdote apparente in figura salicis putridæ.

ALio quoque tempore, cùm esset orans, fuit in Spiritu: & visum fuit ei, quòd esset in ecclesia quadam in vicinio, ubi in crastino erat festum. Et ecce Sacerdos publicam Missam celebrans apparuit in figura salicis putridæ, interiùs plenæ serpentibus & aliis reptilibus, quæ nihil habebat viriditatis, exceptis tribus virgulis virentibus & in altum porrectis. Quis autem foret Sacerdos, ignoravit.

Die sequenti ipsa veniens ad eandem Ecclesiam propter solemnitatem & Indulgentiam, Sacerdotem in Missa cognovit, quia erat levis vitæ, & figura salicis infructuosæ & putridæ, nihil viriditatis habentis, sed plenæ * serpentibus & reptilibus immundis, convenienter eundem Sacerdotem exprimebat.

* *Cod. plenus.*

Virgulæ illæ virides erectæ in salice significabant tres Sacros Ordines, & in ipso Sacerdote vires suas & dignitatem retinentes, sicut datum est ei intelligere in visione.

Vide-

Viderat etiam in eadem visione, quòd post Communionem Sacri Corporis & Sanguinis Dominici * de salice, quasi in canali derivabatur liquor ad modum mellis cocti, & homines venientes gustabant de illo liquore, in salice autem nihil remanebat de ipso melleo liquore. Hoc significat, secundùm quod datum est ei intelligere, quòd ipse Sacerdos erat expers omnis gratiæ Sacræ Communionis, sed fideles assistentes & devoti illo fructu & gratia non fraudabantur.

* *Cod. Dominici canale de salice, &c.*

Cap. XLIV.

De reverentia facta cuidam cellario nesciens inclinando. *

* *Sic. cod.*

ALiud fidei nostræ argumentum, omni veneratione dignissimum, accidit: quòd ista devota Ancilla Christi visitando ecclesias prædicationis vel indulgentiæ, vel devotionis causâ, frequenter præcederet cujusdam cauponis domum, & quotiescunque transiret, reverentiam faceret cellario nesciens inclinando. Quod devotæ personæ, cum ea comitantes, advertentes notaverunt, & de hōc ei loquentes in solatio corridebant. Ipsa verò ab hujusmodi adoratione cessare non poterat: quia non hoc sensu proprio, sed instigante

te

te Spiritu Sancto faciebat, quod rei eventus declaravit.

Nam, cùm hoc benè perfecisset, veneruntSacerdotes de parochia cum vexillis & cum processione Cleri & populi, & corpus Domini, quod ibi quædam malefica in vase vini abſconderat propter lucrum ſuum, cum reverentia, hymnis, & canticis aſportaverunt. Nam illa mulier malefica, ducta pœnitentiâ, hoc ipſum cuidam Sacerdotum retulit, & perſonam ſuam ſalvans clàm receſſit. Quod factum, cùm vidiſſent perſonæ, quæ priùs riſerant, admirantes Deum collaudabant.

Cap. XLV.

De ſcintillis in os Sacerdotis de hoſtia proſilientibus.

QUadam vice audiens Miſſam, quemadmodum ſemper ſolita erat cum magna fide & devotione audire, cùm Sacerdos hoſtiam frangeret ſuper calicem, vidit corporali viſu, quòd de qualibet parte hoſtiæ ſingulæ ſcintillæ ignis in os Sacerdotis, Miſſam dicentis, proſilierunt.

Cap.

Cap. XLVI.

De indumentis ſpiritualibus Sacerdotis.

QUadam vice ſub Miſſa poſt elevationem Sacri Corporis facta in extaſi, apparuit Chriſtus Dominus, indutus Dalmatica cœleſtis coloris, induens Sacerdotem veſtibus propriis Sacris manibus. Et datum eſt ei intelligere, quòd illæ veſtes exteriores ſignificarent interiores veſtes virtutum, quibus Dominus quemlibet Sacerdotem, devotè Miſſam dicentem & libenter frequentantem cum reverentia, induere ſolet. Humerale, quo caput tegitur, ſignificat, quòd Dominus mentem Sacerdotis protegit à pulvere terrenarum cupidinum. Alba ſignificat charitatem DEI & amorem. Cingulum, quô Alba ad corpus ſtringitur, ſignificat amorem proximi. Stola ſignificat unionem DEI cum anima. Manipulus ſignificat adimpletionem juſti deſiderii celebrantis. Caſula, quæ rotunda eſt, ſignificat fiduciam de æternitate.

Hoc quoque ſilentio tegendum non puto, quòd hæc Virgo omni die in aliqua vel in aliquibus Miſſis horâ communicationis percipit & ſentit corporaliter dulcedinem inæſtimabilem, qua guſtata, re-

ficitur corporaliter & ſpiritualiter, & intus in anima miram percipit ſuavitatem. Hinc ſibi corporalis cibus deſipit, & eſt in faſtidio, in tantum ut flens ad corporalem ſæpe accedat refectionem. Si autem aliquando ſibi Deus ſubtraheret illam refectionem Spiritus, tunc nimiùm triſtis efficitur, & facie dejecta. Quandocunque communicat, tunc vultus ejus, qui vigiliis & jejuniis attenuatus, & ſtudiis ſpiritualis diſciplinæ pallet, corpulentia decenti & decore reformatur. Et hoc ipſum ſibi accidit ſæpe, cùm in contemplatione, viſitatione Spiritus Sancti inebriatur.

Cap. XLVII. XLVIII. XLIX. & L.

De Baptismo Chriſti, de Patre, de Filio, de Spiritu Sancto, & de diverſis generibus hominum, circa quos Spiritus S. videtur operari vel operatur.

IN octava Epiphaniæ cùm communicâſſet, cœpit infundi corpore toto calore magno, non urente, ſuavi, & mox fuit in Spiritu, & interiùs totaliter lumine divinitus repleta cognovit, & intellexit, & vidit (vocem corporalem non audivit) & revelatum eſt ei, quòd in Chriſto baptis-

ptisma ſenſibiliter peractum eſt, & Beata Trinitas manifeſtata eſt, videlicet Pater in voce, Filius in carne, Spiritus Sanctus in columba, & Chriſtus in Jordane baptizatus. Ita hæc omnia peraguntur ſpiritualiter in animabus devotis. Pater manifeſtatur in voce, quando animæ devotæ arcana DEI interiùs intellectualiter vel aliquando vocaliter, ſicut ſuperiùs patuit, panduntur cum mentis elevatione in Deum.

Filius ſe manifeſtat cum dilectione. Et dixit, quòd apparuit Jordanis fluvius de monte fluens: & iſte fluvius fuit collectus & de lachrymis amoris & devotionis ſanctarum animarum. Et apparuit Chriſtus in tanto lumine, ſicut ſuperiùs in prima viſione, lumine ſcilicet cœleſti: & nudus apparuit in illo flumine, & plùs jocundabatur in illo Jordane, quàm in Jordane corporali. Et Corpus Chriſti apparuit ita perlucidum, quemadmodum Cryſtallus in radio Solis: & ſuper Chriſtum mons magnus albet, qui premere videbatur ipſum, & eô fortior: & ſignificat amorem, quem Chriſtus ad nos habuit & habet, qui ipſum vicit & usque ad mortem preſſit adeò, quòd nihil in eo ſanguinis illo moriente remaneret: & adhuc premit eum idem mons, id eſt, magnitudo amoris, ut de ipſo fluant devotè paſſionem

ſuam venerantibus charismata gratiarum.

Item alius apparuit mons ſuper ipſum, in quo circumquaque apparuerunt multi homines, illum montem tenentes: & aliqui ita potenter eum montem tenebant, quòd ipſum ad ſe violenter trahere videbantur. Iſte mons, prout intellexit, ſignificat amorem, quo Chriſtus ab hominibus diligitur. Homines verò, qui ibi apparuerunt, ſignificant illos, qui habent amorem Chriſti. Quòd autem aliqui montem iſtum ita potenter ad ſe trahebant, ſignificat illos, qui ita potentes ſunt in amore Chriſti, quòd de omnibus virtutibus & operibus bonis proximorum, & de honore, qui DEO & proximis impenditur, exultant: & illi ſibi in hoc appropriant merita illorum, cùm de bonis aliorum quaſi de ſuis gaudent.

Apparuit etiam ibi columba, id eſt, Spiritus Sanctus in columba, & circa eam multitudo hominum. Columba quoque ipſa capitibus inſidebat aliquorum, aliis pilos de capite vellebat, aliis roſtriculum ſuum in ora leniter percutiebat quaſi deoſculans, alios cibabat, alios potabat, aliis ignem inſufflabat, aliis de ſuis pennis communicabat, alios alis ſuis operiebat quaſi complectens.

Quòd Spiritus Sanctus in ſpecie co-
lumbæ

lumbæ capitibus aliquorum insidebat, significat, quòd Spiritus Sanctus mentes talium elevat ad cœlestia. Quòd autem aliquibus pilos evellebat, significat pressuras & tribulationes, quibus corda talium humiliantur. Quòd rostriculum suum in ora aliquorum leniter percutiebat quasi deosculans, significat dulcedines consolationis Spiritus Sancti. Quòd alios cibabat, significat collationem fortitudinis Spiritus Sancti. Quòd alios potabat, significat infusionem gratiæ in prædicatione & oratione immissam. Quòd aliis ignem insufflabat, significat inflammationem charitatis. Quòd aliis de pennis communicabat, significat innovationem gratiæ. Quòd alios alis quasi complectens operiebat, significat raptum in extasim. Hæc omnia operabatur columba.

Cap. LI.

De Prophetia Versiculi hujus: Cadent a latere, &c.

IN octava die post præfatam revelationem ipsa communicavit, & regrediente de altari, in proximo altari quidam sacerdos celebrans elevabat Corpus Christi: & ea respiciente Corpus DOMINI apparuit lux immensa juxta sacram hostiam. Et

visum est ei, quòd esset lux cœlestis, qualem vidit superiùs in visione prima hujus voluminis.

Ibi subitò facta est super eam manus DOMINI, & in extasi vidit Dominum indutum Dalmatica cœlestis coloris, sicut superiùs pluries in eodem ornatu apparuerat, & loquebatur sacerdoti Fratri, qui eam communicaverat: *Fili mi recordare illius versiculi in Psalmo: Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. Quoniam necesse est adimpleri Prophetiam. Nec mireris, & non turberis de judiciis meis, & habeas pacem & tranquillitatem cordis, & acquiescas ejus voluntati, quia hoc perfectionis est. Et nisi in te ipso pacem habeas, multi ruent, in tantum quòd justi præ dolore possent sanguineas lachrymas fundere. Qui autem in me sperant, nunquam derelinquentur à me.*

Cap. LII.

De formationibus Domini manibûs cordium de argilla.

Post hæc convertit Dominus sermonem ad virginem prædictam, quæ hæc vidit, & dixit: *narra sermones meos Fratri.* Ex tunc vidit Dominum operari & formare manibus suis corda quasi de argilla.

Primum cor erat amplum, & multitudo

do innumerabilis apparuit hominum tale cor habentium. In isto corde non diu Dominus operabatur, sed subitò factum fuit.

Secundum cor quasi de solida materia figulorum, quod de vulgari dicitur Eysendach. * Erat quoque exile & oblongum, ita ut usque in cœlum ascenderet erectum, & erat perlucidum valde, & erat ita solidum, ut nihil posset, nisi solus Deus, in ipsum transire. Et multitudo etiam hominum ibi apparuit cor tale habentium. Et ista corda continuò operabatur Dominus.

* *vox Germanica.*

Tertium cor fuit dispositum ad modum manticæ, intus plenum maximo thesauro, foris clausum & sigillo sigillatum, nec tantæ claritatis, sicut secundum. Et Deus & Dominus de thesauro hujus cordis plus operabatur utilitatis, quàm de omnibus aliis.

Quicunque fregisset illud sigillum, plùs offendisset Deum, quàm si fregisset Altare Sancti Petri Romæ, vel quàm si Veronicam * in lutum projecisset.

* *id est: Veram iconem, Christi patientis faciem præsentantis.*

Quartum cor fuit carneum, & dispositum, una parte amplum, alia parte acutum, & strictum, rectè sicut humanum cor, & pendebat.

Quintum cor fuit quasi Crystallum, ita ut, quidquid in eo esset, manifestè appa-

reret, ſicut id, quod in Cryſtallo palam omnibus eſt.

Sextum cor fuit argilloſum & rotundum, & volutabatur hinc inde: &, ſicut ſuprà dictum eſt de primo & ſecundo corde, quòd erat multitudo hominum innumerabilium tale cor habentium, ita de ſingulis cordibus fuit, & videbantur omnes Religioſi.

Cap. LIII.

Myſterium illorum diverſorum cordium.

MYſterium hujus viſionis eſt hoc: *Primum* cor, quod amplum erat, ſunt corda Religioſorum, qui mundanis occupationibus intenti dilatant ſe ad tranſitoria. Quòd autem Dominus non diu operabatur, & cor iſtud ſubitò factum eſt, ſignificat, quòd Dominus parum pergratum habet facere cum talibus.

Secundum cor, quod fuit de ſolida materia, ſignificat illos, qui in timore DEI ſunt firmati, ita ut nulla tentatio peccati mortalis eorum corda ingredi valeat, licèt foris poſſit pulſare. Quòd autem exile fuit cor iſtud, ſignificat, quòd parum commune habent tales homines cum mundo. Et, quòd erat oblongum & erectum usque in cœlum, ſignificat mentis ele-

elevationem per meditationes & desideria cœlestia: eratque etiam perlucidum per bonæ operationis exemplum. Dominus quoque istud cor continuè operabatur: quia talibus continuè adest per operantem gratiam.

Tertium cor intus plenum thesauro maximo sunt illi electi, quos replevit Dominus plenitudine gratiæ suæ. Quòd autem clausum dicitur, significat, quòd Dominus arcana sua in eis operatur & eis revelat.

Sigillum appositum est ipse Dominus, quia vult arcana sua à talibus sub silentio custodiri, nisi quando vult, & cui vult, & prout vult, & ubi vult, quantum vult, quoscunque vult, quotquot vult, & qualiter vult, revelari. Unde, qui revelant occulta DEI præter nutum DEI, illi frangunt sigillum Domini, & gravissimè eum offendunt, sicut dictum est superiùs. Dominus de thesauro istius magnas utilitates operatur: Quia propter talium merita plus facit, & eorum suffragia plus merentur apud Deum, &, quidquid instanter & seriosè petierint, à DOMINO obtinebunt.

Quartum, cor carnem significat illos, qui assueti sunt terrenis consolationibus & occupationibus, quibus difficulter exuuntur. Quòd autem pendebat cor hoc, si-

gnificat, quòd hujusmodi homines propositum habent de die in diem emendare vitam suam, & sic suspensi pendent.

Quintum, cor crystallinum significat homines, qui bona sua & gratias sibi à Domino factas, non manifestandas, manifestant, sicut id, quod in Crystallo est, omnibus patet. Et isti, quemadmodum Crystallus frigidæ est naturæ, sic isti frigescunt in gratia: & faciliter, nisi resipiscant, à Domino deseruntur.

Sextum, cor argillosum rotundum significat terrenis deditos occupationibus, & instabiles in animo & in opere: jam emunt, jam vendunt: quod jam volunt, modò nolunt: quod jam placet, modò displicet.

Cap. LIV.

De puerperio Beatæ Virginis & nativitate Christi.

IN die Conversionis Sancti Pauli, cùm ista puella accederet ad Communionem tristis & desolata, eò quòd non ita præparata foret, ùt voluisset, mox, ùt deglutivit sacram Communionem, pulsâ tristitiâ, repleta est spirituali lætitia & Spiritus lenitate. Et visum est ei, quòd corpore & mente immutata & innovata esset. Et cùm

cùm resedisset, facta super eam manu Domini, luce prævia apparuit ei una juvencula virgo, pulchra facie, quasi in ætate tredecim annorum. Et vidit, quod in utero ejus ex sanguine circa cor existente, subitò quasi in ictu oculi puer masculus formabatur, in instanti plenè in membris perfectus.

Deinde vidit puerum nasci de virgine, & mox nudum in gremio Matris ubera sugentem, quem Matris velamen capitis circumdedit. Oculi verò pueri, quasi stella fulgida, radiabant.

Deinde vidit puerum pannis involutum & fasciatum, nihilque in eo nudum apparuit, præterquam facies. Et super fœno vidit jacentem in præsepio, bovemque & asinum, stantes, non super præsepium, sed juxta præsepium, In his Dominus dignatus est ei mysterium Incarnationis & Nativitatis ostendere.

Cap. LV.

De mysterio passionis & mortis DOMINI.

DEinde Mysterium passionis & mortis taliter ostendere dignatus est ei. Vidit juvenem adultum, nudum omnino, excepto quòd pannus lineus strictus circum-

cumdatus erat corpori ejus : erat quoque pannus ille infusus sanguine. Vidit quoque hominem illum cruci clavis affigi. Erat autem crux non erecta, sed in longum super terram posita : & super illam ponebatur juvenis ille. Et primò manus dextra crucifixa est, deinde manus sinistra, deinde pedes tracti, &, uno super alterum posito, uno clavo affixi.

Corona quoque spinea , qua illusus fuit, quia in bajulatione crucis aliqualiter mota est, illius crucifixores eam firmaverunt , imprimentes eam tam duriter capiti ejus, ut aculei spinarum penetrarent usque cerebrum. Et in terra cruci affixus est, cum cruce erigebatur in altum : & pendens in cruce querebat requiem de clavo in clavum, sicubi leviùs sustineret. Lancea, transiens per latus dextrum usque in sinistrum, cordi ejus immersa est. Siti vehementissimè affligebatur, & datus est ei potus amarissimus. Tam amaras lachrymas & bullientes calore nimio fleverat , ut genæ decoriatæ à pellicula viderentur, & cum clamore valido expiravit.

Cap.

Cap. LVI.

De ſepulchro DOMINI & ejus ſignificatione.

DEinde vidit eum de cruce depoſitum, & involutum linteis albis & in ſepulchrum poni, & lapidem advolvi. Et audivit vocem dicentem ſibi : *Sepulchrum iſtud ſignificat cor humanum, ubi vult Dominus ſepeliri per amorem & devotam memoriam, quemadmodum Joſeph magno affectu amoris ipſum in ſuo ſepulchro ſepelivit.* Lapis, quo coopertus eſt Dominus in ſepulchro, ſignificat coopercuram ſpiritualem: quoniam non debemus dona DEI, viſitationes & conſolationes divinas, & revelationes exteriùs vulgare hominibus, nec vitæ ſanctitatem exponere, niſi quantum expedit, pro bono exemplo & ædificatione proximorum lucis exempla operibus monſtrare. Item debemus nobismetipſis cooperti & abſconditi eſſe, ut in omnibus, quæ in nobis operatur Dominus, nosmetipſos nihil reputemus.

Dictum quoque eſt ei, quòd Dominus ſex lectos viſitavit, & in eis requievit propter ſextum lectum, ut ibi locum requietionis inveniret.

Cap.

Cap. LVII. LVIII. & LIX.

De visitationibus sex lectorum Christi, de quadruplici morte Christi in cruce, & de multiplici quotidiana utilitate corporis Christi in altari.

PRimus lectus fuit uterus Virginis, ad quem de corde patris venit magno allectus amore. Hæc autem illa audiens cœpit hæsitare & cogitare apud se de corde Patris, quomodo Pater cor haberet. Et dictum est ei & expositum: *Cor Patris est voluntas: unde de corde Patris venit, id est, de voluntate Patris.*

Secundus lectus fuit gremium Virginis, in quo requievit, cum humana infirmitate matris ubera lambens.

Tertius lectus fuit præsepium, in quo quievit cum magna humilitate.

Quartus lectus fuit crux, supra quam requievit pro hominis redemtione & salute. Fuit autem requies ejus de clavo in clavum se sustentans.

Dictum quoque est ei, quòd salvator in cruce quadrupliciter mortem sustinuit. Una fuit mors crucis, id est, crucifixio. Alia fuit mors lanceæ: quia, quamvis jam mortuus fuit, tamen ille, qui transfixit latus suum, intentavit ei mortem, & de

illa

illa fixura, si fuisset vivus, mortuus fuisset. Tertia mors fuit coronæ spineæ, cujus aculei usque in cerebrum ejus penetrabant, ita quòd unaquæque istarum pœnarum suffecit ad mortem. Quarta mors fuit acerbissimus dolor cordis, qui fuit triplex. Unus dolor fuit de matris afflictione. Secundò doluit Dominus, quòd in tam multis sua passio debuit frustrari. Tertius dolor fuit de subsannationibus sibi factis.

Quintus lectus fuit sepulchrum.

Sextus lectus fuit altare, ubi Corpus DEI vivum & verum immolatur pro multiplici quotidiana utilitate. Prima est indulgentia peccatorum, secunda memoria passionis, tertia est augmentum virtutum nostrarum, quarta victoria tentationum, quinta est perfectiò vitæ nostræ, & sexta est præmium ante conspectum Patris.

Septimus lectus est cor humanum. Et dictum est ei, quòd Dominus sex præfatos lectos visitavit propter hunc unum, scilicet cor humanum, ut ibi requiesceret.

Cap. LX.

De sex virtutibus istum lectum DOMINO præparantibus.

SEx quoque virtutes ibi ei sunt expressæ, quibus iste lectus Domino præparatur.

Pri-

Prima munditia, ſecunda humilitas, tertia diſciplina, quarta temperantia, quinta patientia, ſexta amor.

Cap. LXI.

De ſex puellis, cereos in manibus tenentibus, & eorum expoſitionibus, ſcilicet de ſeptem virtutibus.

IN purificatione Beatæ Mariæ Virginis, cùm communicaret, accidit, ut Frater Sacerdos, qui ei porrigebat hoſtiam, cum ſacra hoſtia tangeret ſupra os ejus. Unde ipſa perterrita eſt, putans hoſtiam fractam, & multùm deſolata eſt: tamen ſic deſolata communicavit, tandem & ſenſit in guſtu ſenſibiliter ineffabilem dulcedinem, nec minùs cordis ſuavitatem more ſolito.

Nocte verò ſequenti, cùm matutinas legiſſet, & quieſcere vellet, facta eſt ſuper eam manus Domini, & ecce coram ea ſteterunt ſex puellæ pulcherrimæ, inæſtimabili claritate fulgentes, habentes ſingulæ cereos magnos ardentes in manibus, & erat lux candelarum illarum puriſſima, & ſerena valde. Steterunt autem binæ & binæ, combinatæ & ſociatæ.

Cumque ſic ſtarent, cœperunt loqui. Dixit prima: ego vocor Voluntaria Pauper-

pertas. Dixit ejus collega & ſodalis: ego vocor Patientia. Dixit tertia: ego vocor Deſiderium multum patiendi. Dixit ejus collega: ego vocor Obedientia. Item dixit Voluntaria Paupertas: ego quæro Deum omni tempore. Ad quam reſpondit Patientia: quocunque me verto, ipſum invenio. Item dixit Deſiderium multa patiendi: omnia bona, quæ fiunt in Eccleſia, ego congrego, & mihi approprio. Tunc dixit ejus ſodalis, ſcilicet Obedientia: prompta ſum ad omnem perfectionem.

Quando hæ quatuor finiviſſent ſermonem, tunc locutæ ſunt ultimæ duæ collegæ. Et dixit prima: ego vocor Oratio. Dixit ultima: ego vocor Amor. Item dixit puella, quæ dicitur Oratio: DEUM ſemper habeo. Benedicit ejus ſodalis, quæ vocatur Charitas ſive Amor: quidquid petis, tibi tribuo. Addidit quoque Amor dicens: Quare eſt hoc, quòd hæc, ſcilicet devota, non vidit in illa cœleſti viſione juſtorum minorum animas, ſicut ſororem Gertrudem, ſed ſolùm majores Sanctos vidit? Et reſpondit ea ipſa ad propriam interrogationem: hoc ideo eſt, quia ei ſolùm oſtenſi ſunt, qui fuerunt perfecti in ſanctitate, cùm eſſent in via, & in hac vita: & quicunque debet eſſe perfectus, oportet, ut nos ſex habeat, & qui unâ no-

ſtrarum caret, non eſt perfectus in ſanctitate. Et tunc iſta puella, quæ Charitas dicitur, inclinavit cereum ſuum adverſùs ſodalem ſuam, quæ vocabatur Oratio. Quæ accipiens quaſi unam ſcintillam ardentem de facula charitatis,* projecit de ſe ſupra pectus devotæ hujus, quæ hæc audivit, vel vidit: quæ mox ſenſit incendium devotionis in corde, & in præcordiis miram ſuavitatem ſpiritus.

** Cod. & projecit.*

Cap. LXII.

De ſtella, in qua facies hominis pulchra nimis apparuit.

IN quarta die poſt Purificationem, cùm ille igniculus Divinus in ejus pectore æſtuaret, quem illa puella, quæ vocabatur Oratio ,de candela ardenti Charitatis acceptâ ſcintillâ ſupra pectus ejus jecerat: (ùt in viſione proxima dictum eſt:) in ſero Dominicæ hæc puella cœpit amariſſimè flere pro dilatione patriæ. Et cùm inconſolabiliter fleret, reſpiciens per feneſtrellam vidit unam de ſtellis majoribus, in qua apparuit facies hominis pulchra nimis. Qua viſa, cœpit ampliùs & ferventiùs flere. Et ſic flens facta eſt in extaſi, & apparuit ſibi eadem facies, in qua & in cujus luce, vidit omnia, quæ ſunt

ſunt in cœlo, & in terra, ſicut viderat in prima viſione magna hujus voluminis, ſed nunc omnia eadem clariùs & manifeſtiùs vidit. Vidit gloriam, & dignitatem, & honores Virginis glorioſæ, & ſanctorum Angelorum, & Apoſtolorum, Martyrum, & cœteros Sanctos magnos & perfectos vidit, & ex nomine eos cognovit, ſicut ſuperiùs viderat. Et poſtea vidit turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, qui erant Sancti & electi: & erant in tanta multitudine, quòd ipſa mirabatur.

Cap. LXIII.

De voce ſonora in patria & aliis vocibus, triplicem laudem exprimentibus, ſed non verbalibus.

AUdivit quoque voces laudantium in patria dulciſſimas & diverſas, ſonore tonales quidem, ſed non verbales, & tamen intellectui audientis ſignificativas, ſicut in prima viſione. Iſtæ voces laudantium triplicem cauſam laudis exprimebant.

Prima vox fuit: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, tu es Creator.* Et hanc vocem laudis canebant omnes Angeli, & omnes Sancti in patria, exceptis pueris nuper baptiza-

 tis

tis & ſic defunctis, & eis, qui olim fuerant in magnis peccatis, defunctis tamen cum contritione, ſed absque operum ſatisfactione. Hi non habebant vocem laudis, ùt dictum eſt etiam ſuprà in prima viſione. Et in hac laudatione quilibet apprehendebat, & cognovit, quid ipſe haberet de beneficio creationis. Et hanc laudem tanto deſiderio pſallebant, quòd quaſi, ſi poſſibile foret, vellent habere de tempore ad laudandum Creatorem. Tantum enim eſt eis gaudium in hac laudatione.

Secunda laus beneficium redemptionis exprimebat. Et hanc laudem ſoli homines canebant, ſed Angeli miro modo congratulabantur huic laudi.

Tertia laus beneficium præmiationis exprimebat. Et de hoc inæſtimabile habebant gaudium, quia ipſemet, ſcilicet Deus homo, erat eorum remunerator. Et in hac laudatione cognoverunt omnem remunerationem cum omnibus remunerandis, quòd DEUS omnem creaturam cum ipſis perpetuò permanſuram remuneraturus eſſet propter eos, non ſolum Solem, ſtellas, lunam, & elementa, ſed etiam minimum granum, quod totum eis erat in cumulum gaudii.

Cap.

Cap. LXIV.

De voce jubilationis verbaliter dicente: Ego ſum, ego ſum.

AUdivit quoque vocem magnam cum jubilo verbaliter dicentem: *Ego ſum, ego ſum.* Et hæc erat vox Chriſti DOMINI. In hoc ipſum reſonabant vocaliter & tonaliter, non verbaliter, Virgines, (&) incoinquinati: & nulli alii Sancti hoc Canticum cantabant.

Cap. LXV.

De Angelis miniſtrantibus Sacerdoti & alatis ſex alis.

DOminica die, ſecunda poſt Purificationem, cùm communicâſſet, iſta deſtituta viribus corporis, ſed ſpiritu vigorata, inter cor habens, mira dulcedine perfruebatur: ſicque manens immota domi usque mane ſequentis diei, rapta in ſpiritu vidit Fratrem Confeſſorem ſuum celebrantem in altari Beati Franciſci, qui & tunc ibi Miſſam celebravit. Ipſa quoque affirmabat firmiter ſe ſpiritu fuiſſe præſentem. Cumque Frater perveniſſet ad

ad canonem, apparuit ibi infinita multitudo Angelorum in altari & circa altare, ministrantes ipsi sacerdoti. Qui cùm inclinaret, & unà ipsi Angeli cum ipso inclinabant. Quocunque ipse manum extenderet, sive ad adorandum, sive ad benedicendum, Beati Angeli obsequentes, manus ipsius sacerdotis ducebant, nec tamen benedicebant ipso benedicente hostiam, sed tantùm manus benedicentes ducebant.

Apparuerunt autem Angeli ad modum pueri unius anni, & ætate & quantitate, facie fulgentes juvenili & multùm delectabili ad intuendum. Sex alas quilibet habebat, sic dispositas: duas habebat super caput extentas, quæ rutilabant quasi de fulvo & purissimo auro. Duabus alis velabant totum corpus usque ad pedes, ita ut apparerent, & istæ alæ erant candidæ sicut nix. Duæ alæ erant ad volandum extentæ, & istæ erant varii coloris, & diversi & perlucidi, & miræ pulchritudinis. Et non solùm circa hunc sacerdotem Missam celebrantem, sed etiam circa omnes, qui ibi Missas celebrabant, simili modo apparuit multitudo Angelorum. Et datum est ei intelligere, quòd, quantumcunque malus sit sacerdos, qui celebrat Missam, semper ibi multitudinem Angelorum advenire propter reverentiam Sacramenti.

Cap.

Cap. LXVI.

De duobus dæmonibus gloriantibus.

Apparuerunt etiam duo Dæmones post tergum Fratris Confessoris hujus puellæ, dum Missam diceret: & primò post elevationem Eucharistiæ apparuerunt. Erant autem deformes in effigie, & tota corporis dispositione horribiles, nec tamen eidem puellæ ullum intulerunt horrorem. Stabat autem unus à dextris, & alter à sinistris sacerdotis post ipsum aliquantulum, & inclinantes se ad invicem gloriabantur, quòd aliquem timorem immisissent ipsi celebranti, & quòd tamen aliquod impedimentum præstitissent. Ipse enim Frater consuevit aliquando nimis pavere phantasmata cogitationum malarum, quanquam præter voluntatem omnino hæc pateretur. Dicti autem dæmones dicto *Pater noster* evanuerunt. Angeli verò sancti ibi persistentes ministrabant, quamdiu missa legebatur.

Visum est quoque ei, quòd ipsa communicabat Corpus DOMINI ibidem de manibus Fratris celebrantis. Cumque ad se fuisset reversa, sensit in ore & in gustu corporaliter miram dulcedinem, quam solita erat sentire.

Cap. LXVII.

De voce dicente: vis nosse, quid Deus sit in anima, & quid operetur in anima?

ALio tempore, cùm vacare vellet contemplationi, sensit in pectore mirum incendium devotionis, ita ut ille calor corporaliter per totum corpus diffunderetur: & intra se audivit vocem dulcem & suavem, sicut superiùs dictum est. Et dixit ei: *Vis nosse, quid Deus sit in anima?* Illa verò tacuit. Et tunc ait vox: *DEUS est in anima esuries languens, id est, ein seniger hunger, * cum læto corde.* Quæ sic exposuit: *esuries languens, ut anima esuriat Deum cum languore amoris: lætum cor est pura conscientia.*

* *Verba Germanica.*

Dixit quoque vox illa: *Vis nosse, quid DEUS existens in anima operetur?* Illa verò tacuit. Et ait: *DEUS existens in anima judicat sicut Rex in regno: item largitur munera magnifica: item tractat consilia sicut Prælatus cum suis. Item exhibet se animæ familiarem, sicut sponsus se sponsæ. DEUS velut Rex judicat homicidia, id est, mortalia peccata, per contritionem & displicentiam peccatorum, & per veram pœnitentiam. Item judicat faciens restitui ablata & malè perdita, id est, gratiæ dona reddit animæ, post-*

quam

quam incipit ſubire judicium pœnitentiæ. Item judicat injuſtè captivatos libertati mancipando, id eſt, cor & affectus animæ ligatos & innodatos illicitis deſideriis à jugo ſervitutis carnalium deſideriorum liberando per gratiam.

Cap. LXVIII.

De rege, qui largitur dona tribus generibus hominum, ſcilicet militibus, mimis & ſponſæ ſuæ.

Rex etiam largitur tribus generibus hominum, militibus, mimis, & ſponſæ ſuæ. Deus Rex tripliciter honoratur in ſuis militibus, ſcilicet in dignitate eorum ſive nobilitate, in eorum ſtrenuitate, in eorum fidelitate. Unde hæc tria donat Deus ſuis militibus. Dignitas ſeu nobilitas animæ, quam Deus dat, &, quâ ipſe in anima honoratur, eſt puritas & munditia.

Strenuitas animæ eſt, quòd viriliter reſiſtat tentationibus. Fidelitas animæ ad Deum eſt amor.

Mimi ſunt quinque ſenſus, qui laudant, vituperant, novis cantilenis exhilarant. Vituperant, cùm de anima teſtantur vitia, quæ ei innoteſcunt per quinque ſenſus. Laudant, cùm animæ offerunt virtutes imitabiles, quas percipiunt & vident in bonis hominibus. De-

lectabiles cantationes cantant, cùm animam ad devota suspiria exercent per hac, quæ foris percipiunt.

Sponsæ DEUS largitur tria dona.

Primò *revelationes arcanorum divinas, quantum animæ expedit.*

Secundò *infundit spirituales consolationes & dulcedines gustui animæ.*

Tertiò *facit animam ardenter esurire.*

Cap. LXIX.

De consiliatione Dei in anima, qui consiliatur cum ea tripliciter.

ITem Deus existens in anima consiliatur cum ea tripliciter.

Primò *ei Mundi fallacias & instabilitatem ostendit.*

Secundò, *cùm anima injuriis Dei compatiens & dolens, quòd tam multi beneficiis Dei obliti, Deum peccatis inhonorant, iram Dei, quam de talibus infligeret, avertunt.*

Tertiò, *cùm Unigenitus Dei Deo Patri per manus Sacerdotum offertur populo.*

Quartò *se exhibet familiarem animæ, sicut sponsus sponsæ, quando est clausum. Est autem animæ cubiculum clausum & seratum, cùm anima ab omnibus operibus exterioribus sabbateat, etiam à bonis, in tantum ut nec*

orare

orare nec similia queat facere, quia soli DEO *interiùs intendit per contemplationem. Cumque hoc agitur in anima, tunc* DOMINUS *innotescit * sponsæ suæ, id est, animæ, suam optimam voluntatem, id est, anima tunc incipit cognoscere, quid* DEO *optimè placeat, & velit in ipsa, & hoc cognoscendo anima divinam induit similitudinem.* * i. e. significat.

Secundò *incipit Deum diligere, in tantum ut omnem amorem fastidiat & omne amabile, excepta illa re, quæ ipsam promovet in amore Dei. Et isto amore vendicat sibi anima, quidquid habet Deus, & proinde divisò cum Deo possidet, quidquid habet Deus.*

Tertiò *datur ei fortitudo boni desiderii & bonæ voluntatis, ut ad omne bonum flagret & ardeat: & hoc ipso sibi emit, quidquid habere cupit.*

Cap. LXX.

De fide, spe & charitate.

IN hoc cubiculo, cùm Christus Dominus thalamum intraturus est sponsæ, fides ei vestes deponit, id est, per fidem meretur sponsa sponsum revelata facie absque velamine videre. Spes ponit ei scabellum ante thalamum, ut facilè intret in thalamum, quando videlicet nihil aliud ibi est in conscientia. Charitas ipsum sponsum excipit ad amplexus, & charitas sponsi è converso animam ad amplexus recipit:

cipit: & ibi fit tantu unio per amorem ſponſi & ſponſæ ut anima ſe ipſam obliviſcatur. Et ſuper omnia in hoc beneplacitum eſt Deo, & in hoc ſolo anima reſpondet beneficiis DEI, ut amet ipſum, ſcilicet tali amore.

Cap. LXXI.

De quinque generibus Confeſſorum, confeſſiones hominum audientium. *

* *Cod. audientes, ut & mox.*

ANte feſtum Palmarum facta in ſpiritu vidit quinque genera Confeſſorum, confeſſiones hominum audientes. Quidam habebant capita porcorum & roſtra lutoſa, alii habebant capita canina, alii omnino habebant diſpoſitionem horrendam diabolicam & facies larvatas, alii habebant facies humanas ſed ſanguine reſperſas, alii habebant facies lucidas humanas, quodam divino lumine illuſtratas.

Stupefacta igitur, cùm hæc videret, & admirans, quid ſignificarent, audivit vocem intra ſe, ſicut ſuprà, quæ ait: *Illi, qui habent capita & roſtra porcina & lutoſa, ſunt Confeſſores, qui propter quæſtum & lucrum temporale audiunt confeſſiones. Capita canina habentes, ſunt Confeſſores, qui propter laudem & vanam gloriam & favorem audiunt confeſſiones, aliorum vulnera linguâ ſuâ lin-*

gentes

gentes & sanantes mundant, in se ipsis fœdi. Sathanicam formam habentes, sunt Apostatæ, & quidam adhuc alii scelerati, quos Deus non vult te scire parcens tibi. Humanas facies habentes sanguine respersas, sunt Confessores, qui cum violentia cogunt homines confiteri etiam ea, quæ non tenentur, & interrogant de carnalibus propter suas delectationes, & isti in se maculantur. Facies humanas habentes lucidas, sunt Confessores, qui purè propter Deum & salutem animarum audiunt confessiones.

Cap. LXXII.

De manibus Sacerdotis, quæ splendebant sicut luna serena, & facie Sacerdotis, quæ resplenduit sicut sol, & de tentorio supra corpus Dominicum, & ejus significatione.

ANte festum Palmarum, cùm audiret Missam privatam in Ecclesia Fratrum paucis ibi existentibus hominibus, post elevationem Dominici Corporis ipsa captabat locum, ubi posset respicere Corpus DOMINI in altari. Hæc enim erat consuetudo ejus, quòd cum magno desiderio & fide immensa, ubicunque poterat, libenter vidit tractari Corpus Domini.

Intra

Intra Canonem igitur parùm ante *Pater noster* reſpexit ſuper altare, & ecce manus Sacerdotis celebrantis ſplendebant ſicut luna ſerena in die apparens. Et ſubitò ſtupor apprehendit eam, non terribilis, ſed velut ſuavis admiratio: facies quoque Sacerdotis reſplenduit, ſicut ſol, cum lucet in nube, vel per nubem candidam. Mirabatur itaque, unde iſte ſplendor lunaris & ſolaris. Et reſpiciens ſacram hoſtiam, vidit eam lucere, ſicut Solem in virtute ſua. Exinde ſopitis corporis ſenſibus facta eſt in ſpiritu: & quia magna ſuavitate tenebatur in illis ſplendoribus, corporaliter ſibi apparentibus, renitebatur inde trahi in extaſim, ſed non prævaluit.

Cumque eſſet in ſpiritu, apparuerunt prædicti ſplendores inæſtimabiliter majores, nec corporeo ſenſu perceptibiles. Apparuit quoque ſupra corpus Dominicum & ſanguinem tentorium ſive tabernaculum, quod non latiùs, quàm corporale, extendebatur, & erat fulgens inæſtimabiliter quaſi aureo & flaveo colore ſubtiliter intextum. De Corpore quoque Domini lux immenſa diffundebatur. Et in illa luce apparuit imago perlucida, quæ modò versùs ſacerdotem, modò versùs ſacram hoſtiam vertebatur, & ipſa imago omnia, quæ in miſſa agenda ſunt in ſignis

&

& in fractione ſpecierum, cum Sacerdote operabatur, & de ipſa imagine tres radii ad ſacerdotem egrediebantur.

Lunaris fulgor, qui ad manus dirigebatur, ſignificabat munditiam ſacerdotalem. Item ſplendor ſolaris (& hic ad faciem dirigebatur) ſignificat puritatem conſcientiæ. Idem lux Solis cùm manè rutilat in aurora (& hæc penetrabat ad cor) & ſignificat deſiderium cordis ad DEUM.

Cap. LXXIII.

De his, quæ ſub tentorio, id eſt, dignitate Presbyterii, fiunt multa & magna.

TEntorium ſignificat dignitatem Presbyterii, ſub qua fiunt multa & magna ad ſalutem animarum. Unde ſub illo tentorio vidit infinitam multitudinem hominum modò veſtiri, modô cibari, modò depingi, modô augeri, ſicut ſuprà * etiam vidit in alia viſione, modô jocalia quæque de ebore formari, & hominibus donari, quod quia naturaliter eſt frigidum, & eſt lene in tactu, & eſt nobile, ſignificat caſtitatem, ſpiritus lenitatem, & animæ ſive morum nobilitatem.

* *Cap. 24.*

Tunc ipſa ſecum tacita mirabatur, intra ſe dicens: O Deus, cur mihi tanta ac ca-

talia ostendis? Forsan quia tam modicæ sum fidei, & oportet, ut me sic in fide robores, vel tam prona in malum, quòd caderem, nisi me sic manu teneres. Et audivit vocem intra se dicentem: *Non sic, sed propter magnam fidem, quam habes de Sacra Eucharistia.*

Cap. LXXIV.

De tempore acceptabili, scilicet jejunio, & quod melius sit confessiones audire quam orare.

IN festo Palmarum, cùm communicâsset, & contemplationi vacare vellet, vox intra se loquebatur: *Væ illis, qui se modò negligunt, quia nunc tempus acceptabile, & Deus modò magis propitiabilis est ad exaudiendum propter memoriam passionis salvatoris, quæ nunc agitur, & propter instantiam precum universalis Ecclesiæ, quæ modò magis frequentatur, & propter devotionem hominum, quia modò magis sunt devoti.*

Tunc cogitavit tacita apud se: O Deus, si meus Confessor modò posset vacare orationi! Erat enim tunc occupatus audiendo confessiones, & absolvendo peccatores. Et ait vox ad eam: *O tu stultella, non posset nunc meliùs orare, quàm facit audiendo*

do confessiones & absolvendo peccatores: quia Deus Pater est cum potentia in verbo sacerdotis absolventis pœnitentem: & Filius in manu ejus pœnitentiam injungens, & quod deest, supplet sua passione: Spiritus Sanctus sua bonitate ibi operatur.

Cap. LXXV.

De plenitudine diei Cœnæ, qui est plenus gratia.

IN Cœna Domini sub missa cœpit recogitare de tanta dignatione Salvatoris, quòd illa die tam admirabile Sacramentum instituisset. Et audivit vocem solitam intra se dicentem. *Hæc est dies plenitudinis gratiæ & miserationis divinæ, ita ut, quidquid justi petierint, accipiant.*

Hæc audiens cogitavit: O si ego essem de numero talium justorum! Et audivit vocem intra se dicentem sibi: *tu de numero eorum es.* Ipsa autem diffidens de suis meritis (: multum enim sibi ipsi in oculis suis semper vilescebat:) timuit, ut fortè non esset digna cum justis cæteris exaudiri, sicut cæteros justos. *(Ait ergo)* Da mihi hoc pro signo, ut quiescat pulvis iste, qui fideles tuos impedit à devotione sua. Populis enim infinitis convenientibus in unum, ubi Dominus Episcopus Batavien- *i. e. Pataviensis.*

 sis

ſis reconciliavit pœnitentes, pulvis denſiſſimus elevabatur quaſi nebula, ut vix homines mutuò ſe viderent. Vix autem verbum finierat, & ecce mox pluvia placida deſcendit, non offendens ſed reſpergens, pulverem ceſſare fecit.

Ex tanta condeſcenſione ſalvatoris ſumpſit fiduciam, & ait: Domine, etiam pro argumento tuæ condeſcenſionis da mihi, ut hodie Divinis à Domino Epiſcopo celebrandis quietè interſim absque preſſura populi. Quod & factum eſt. Nam tanta erat frequentia populorum, ut plures comprimerentur, ita ut morerentur: ipſa tamen, cùm eſſet imbecillis, absque moleſtia pervenit ad chorum, ubi Dominus Epiſcopus coram ipſa chriſma conſecravit, & cum magno commodo corporali & permaxima ſpirituali conſolatione divina audivit, & Dominus Epiſcopus eam manu ſua de Corpore DOMINI communicavit.

Cap. LXXVI.

De petitione hujus puellæ, quomodo petivit ſibi dari imbrem lachrimarum ad omnes horas diei ſeptem, & quod multa pati poſſet.

ITem adjecit orans: Domine, ſi dignaris meas preces exaudire, ùt per verbum tuum

tuum mihi promisisti, da etiam mihi hoc pro signo, ut crastina die, scilicet die tuæ passionis & mortis tuæ valeam multa corporaliter pati, & sustinere, & non deficere, & quòd ad omnes horas diei, septem scilicet Canonicas, dare mihi velis imbrem & gratiam lachrymarum. Hoc autem totum est completum in ea. Nam duas noctes illas sequentes duxit quasi insomnes, vix sedendo modicum nutitans, & in die passionis DOMINI cum quodam ramo juniperi se flagellans mille plagas accepit, cùm virga illa foret tam aspera, & ipsa non leniter percutiens, sed ad sanguinis effusionem se cruentans. Dixit etiam, quòd suaviter sustineret. Et jejunans in Parasceve vix duos morsellos comedit panis tantùm, non est tamen fatigata, secundùm quod ipsa desideraverat. Ad Matutinas quoque & ad alias horas, cùm illas legeret, tanta est ei data à DOMINO abundantia lachrymarum, ut vix præ lachrymis aliquandò horas complevit.

His sumens fiduciam oravit, & responsum accepit, quòd exaudita esset oratio sua: & sex personæ sunt nominetenus ei expressæ, ùt dictum est ei, ut pro illis oraret. Et dictum est ei, quòd pro aliquibus non sumeret orationem: quia aliqui tam remotè cadunt à Domino, quòd non resurgunt. Unde dixit Dominus

Jeremiæ : *Noli orare pro populo isto in bonum.*

Cap. LXXVII.

De tripartito statu (eorum) in quibus Dominus spiritualiter resurrexit.

IN die Resurrectionis, cùm communicasset, tota die non sumens cibum nec potum usque ad vesperam, in ecclesia in uno loco mansit immobilis vacans devotioni: & ibi facta super eam manu Domini, vidit in lumine multitudinem hominum, & tripartitum statum in eis, in quibus DOMINUS spiritualiter resurrexit.

In primis stetit Dominus erectus. Hoc modo opera bona & merita eorum videbantur in ipsis formari in quandam imaginem, & imagini se infundebat Dominus, & imaginem perlustrando divinitatis luce vivificabat, & illa erecta stabat. Et isti erant perlucidissimi, ita ut etiam illuminarent alios. Et dictum est ei: *Isti sunt, qui strenuè se habent in serviendo DEO, non parcentes sibi, & in his, ad quæ etiam non tenentur, sollicitè se exercent supererogando: & debetur eis tantum præmium pro eo, quòd alios ædificant per exempla bonæ vitæ, quantum eis debetur ex eo, quòd in se ipsis proficiunt.*

Alii

Alii erant etiam lucidi, ſed non in tantum, ſicut prædicti, & imago in eis formabatur ſimiliter ex meritis bonis eorum, cui ſe DOMINUS infundebat illuſtando eam. Et in his Dominus ſedit cum imagine. Et dictum eſt ei, quòd iſti ſunt hi, qui bona agunt, ad quæ tenentur, tamen cum corporali commodo, nec ſe multùm fatigant corporali exercitio.

Alii non erant lucidi, niſi in quantum imago in eis extendebatur, quæ formabatur & illuſtrabatut, ſicut in primis & ſecundis, & in his jacebat Dominus cum imagine. Et dictum eſt ei: *Hi ſunt boni quidem homines, & tamen remiſſi, bona plura ſibi proponentes facere, ſed negligentes in exequendo.*

Cap. LXXVIII.

De minutione hujus puellæ.

QUadam vice, cùm traheret ſanguinem, ſanguis quaſi præ calore bulliebat, ita ut minutor,* & etiam ipſa miraretur, eò quòd parcus foret ejus victus & ſimplex, nec incentivis uteretur, & omni die jejunaret, & tamen ſanguis calore bulliret. Sicque ſecum mirans audivit mox vocem intra ſe dicentem: *Iſte calor non eſt à natura, ſed à gratia: quia Deus animam divino calore accendit, & animam*

* *i. e. inciſor venæ.*

mam sic accensam calefacit, & inde est calor iste sanguinis. Ipsa enim sæpe, sicut dictum est superiùs, in visitationibus divinis infundebatur adeò * calore in pectore, ut ex hoc per totum corpus calor diffusus, non pœnaliter, sed suaviter, eam ureret.

* *Cod. infundebatur à calore.*

Cùm autem vox loqueretur ei, ipsa stupefacta est, non cum horrore, sed cum quadam lætitia. Nam dixit, quòd, quotiens ei hæc vox loqueretur, semper in initio sermonis subita & inopinata lætitia eam rapuit in stuporem, ita ut à se aliquantum deficeret, & quædam debilitas eam apprehenderet, quemadmodum si alicui nunciaretur de amico suo, quem multùm diligeret & videre gestiret: adest talis amicus tuus.

Ipsa quoque ad se reversa cogitavit secum, si fortè ex hujusmodi accensione sanguinis taliter facta, ùt prædictum est, posset infirmari, si non traheret sanguinem? Vox statim ad cogitationem respondit, quòd sic. quia tantus posset esse excessus caloris in ipso sanguine, quòd natura ferre non posset. Unde, cùm sanguis trahitur, calor minuitur, & leviùs fertur. Et adiecit vox dicens: *Aliquando iste calor diffunditur in toto sanguine per omnia membra, ita quòd ex devotione sanguine sic calente, omnia membra suaviter incale-*

le-

lescunt, tamen absque incentivo corruptionis & absque macula.

Cap. LXXIX.

De abominatione tristitiæ hujus puellæ.

QUadam die, cùm communicâsset, infusa est dulcedine consueta, tam gustu corporali, quàm mentali de Manna illo vivifico. Cumque per aliquod spatium diei sic perdurâsset, cœpit corporalibus viribus debilitari. Et quoniam tempus aderat dicendi horas Canonicas, ipsa se vi ab illa consolatione abstraxit, & horas DEO persolvit. Et ex hoc in magnam tristitiam incidit, recogitans suas miserias & defectus, quos cœpit exaggerare & aggravare, cùm tamen verè non esset misera, sed dives in gratia. Et post modicum facta est in extasi, & vox in ea loquebatur, reprehendens illam de illa tristitia. Et visum fuit ei, quòd cum cultello, quem penes se habebat, dentes purgans, duas muscas de dentibus erueret. Et tunc ad se mox reversa audivit vocem consuetam, dicentem satis duriter: *sicut hæ muscæ sunt abominabiles apud homines, sic tua tristitia Deo.*

Cap. LXXX.

De roboratione ſacerdotum in communione corporis Chriſti & aliorum hominum.

EX eo, quòd ſe ſenſerat in communione Sacra Corporis DOMINI præ ſpiritus pinguedine viribus corporaliter debilitari, cogitavit, quomodo eſſet ſacerdotibus, qui quotidie communicant, quare illi non deficerent. Reſponſum eſt ei: *quia boni & devoti ſacerdotes ſumunt roborationem ab univerſali Eccleſia, quia ipſi ſumunt Corpus Domini pro univerſis fidelibus, proinde etiam devotio & merita fidelium eis robur præſtant.* Et data eſt ei ſimilitudo talis. *Si quis debilis duceretur ad aërem bonum, ubi eſſet ſuavis odor, quanquam ille nihil comederet, cerebrum tamen & cor ejus ex odore bono & ex bona diſpoſitione aëris vigorem acciperet.*

Item aliam habent roborationem, ſcilicet cùm anima devotorum ſacerdotum infunditur à DEO calore devotionis, anima influit in ſanguinem calorem, & calefacit ſanguinem: & ex hoc corpus accipit robur multa ſuſtinendi, ùt jejunare, abſtinere, vigilare, frigus pati & aſperitates. Hæc homo devotus poteſt ſuper alios homines pati, cùm à ſpiritu etiam corporaliter vigoratur.

Item

Item quia cor virile naturâ robuſtius eſt quam mulierum, inde eſt etiam, quòd mulieres devotæ faciliùs debilitantur in exceſſu devotionis, quàm viri.

Cogitavit quoque tunc de quodam ſuo amico, quomodo ei eſſet. Et reſponſum eſt ei: *Quia etiam calore devotionis infunditur, unde & corporaliter roboratur, ut poſſit multa faciliter pati, vigilias & cæteras aſperitates corporales. Ipſe etiam ſugit dulcedinem devotionis & robur ex conſideratione devotionis devotarum perſonarum, & ex inveſtigatione devotionis, quemadmodum ſi quis ſuccum dulcem de uva vel alio dulci fructu ſugeret.*

Quod autem dixerat, quod calor ille divinitus infuſus animæ etiam ſanguinem calefaceret, & corpus vigoraret, hoc dixit, quando non eſt nimius. Nam cùm exceſſus eſt caloris, tunc vires corporis debilitantur.

Cap. LXXXI. & LXXXII.

De reprehenſione hujus puellæ, quòd nollet vocem intra ſe audire, volens vacare aliis, & de triſtitia, quæ implevit cor hujus puellæ a tempore Paſchæ infra Aſcenſionem.

VIce quadam, cùm communicaſſet in Dominica quarta poſt Paſcha, vox, quæ ei intus ſolita erat loqui, iterum loquebatur:

tur : ipſa verò loquentem attendere recuſabat, volens vacare aliis, & cum magno certamine conabatur inde animum avertere. Cumque diu ſic luctata fuiſſet, nec prævaleret, ait vox ad eam blandè & amicabiliter : *Cur mihi es inimica? Nihil tibi mali feci. Et quamvis ſinu mentis dilatato multa videris, tamen incognitum eſt tibi, quid tecum Deus intendat.* Ipſa verò nec adhuc acquievit voci eam conſolanti. Nam à tempore Paſchæ infra Aſcenſionem triſtitia implevit cor ejus. Et, licèt ſæpius viſitationibus divinis & in benedictionibus dulcedinis eam Dominus viſitaret, tamen cor non potuit à triſtitia relevare.

Tunc vox iterum ad eam ait : *cor tuum tempori coaptatur. Tempus Adventus & Nativitatis erat plenum jocunditate, quando recitabantur dicta Prophetarum de Incarnatione DOMINI, ſicut : Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum, & ſimilia. Similiter tempus Nativitatis plenum gaudio fuit. Et alia tempora Apoſtolis jocunda erant, quando Dominus cum eis corporaliter fuit. Sed, quia iſto tempore Apoſtoli & Diſcipuli DOMINI præſentiam non habebant, nec adhuc Spiritu Paraclito repleti erant, conſolari ſufficienter non valebant, licèt modò Eccleſia gaudium reſurrectionis celebret continuè.*

Cap.

Cap. LXXXIII.

De consolatione & afflictione animæ hujus puellæ.

NEc adhuc acquievit, ut valeret consolari, sed dubitando cogitavit: forsan ista non est causa tristitiæ. Tunc iterum vox ad eam: *Tu nescis*, inquit, *quæ sit tibi causa tristitiæ. Anima divino affecta desiderio plenè consolationem non recipit, quamdiu non accipit, quod desiderat.* His verbis acquievit cor ejus, affirmans in cogitatione ita esse. Et mox anima ejus languere cœpit desiderio maximo, & sitire ad Dominum. Et in isto languore desiderii ipsa dedit mihi intelligere, quòd anima ejus & consolabatur, & affligebatur. Consolabatur de pietate desiderii, sed affligebatur de dilatione. Unde dicebat: licèt affligar intus in anima, in tantum ut mihi videantur omnia membra mea exteriori languore foris languere, tamen vellem, ut iste languor nunquam cessaret, sed potiùs incrementum acciperet usque ad mortem.

Post hæc, modicùm cùm esset solitaria, cœpit cogitare, utrum ex tristitia, quæ est ex dilatione desiderati Dei & afflictione languentis desiderii post Deum, ab anima tali Deus elongetur, & minùs ei sit accepta anima taliter affecta, quàm cùm anima affici-

ficitur affluentiâ gaudii & consolatione spiritus. Ista ea cogitante, vox intra eam respondit: *Anima affluens spiritualibus consolationibus & delitiis internorum gaudiorum, his donatur à DEO, quantum hìc capax potest esse, & assecuratur in hoc ipso à DEO de futuris sibi dandis gaudiis. Anima verò desiderio amoris Divini affecta, & languens post DEUM totis præcordiis, in hoc ipso gratissima est DEO, & vicissitudinem ei rependit, & respondet Domino de acceptis beneficiis.*

Cap. LXXXIV.

De redargutione sui ipsius, timens, quòd nimis arroganter orâsset, & placentia orationum Justorum.

Cod. oraret ciborium,

UNa die, cum oraret (ante) ciborium, * ubi Corpus DOMINI positum erat, recordata est de quodam amico suo, qui eam frequenter rogabat, ut pro se oraret. Orans igitur dixit: Domine, si est aliquid in me, de quo habeas aliquam placentiam, oro te, ut hunc amicum meum in eandem placentiam mecum ponas, ut æquè tibi placeat. Ut autem hoc orâsset, mox cor ejus triste efficitur, timens, nimis arroganter & præsumtuosè se orâsse, & se ipsam redarguit, eô quòd de se aliquid quasi DEO placitum sensisset, & se in oratione sua amico

co ſuo prætuliſſet. Nec tamen ex deliberatione ſe ei præferens hæc orabat, ſed æquè bonum amico ſuo ſicut ſibi ipſi cupiebat.

Tunc vox Dei ad eam: *Vult DEUS*, inquit, *ut exoretur etiam à peccatoribus, & placet DEO pro eo, quòd peccator cognoſcit ſe nihil poſſe habere niſi à DEO. Multo magis orationes juſtorum faciunt DEO immenſum gaudium & jocunditatem: Quemadmodum magnus Princeps aliquis, ſi coram eo mimi & joculatores artes ſuas & ludos ſuos exerceant varios, unde DOMINUS jocundatur & gaudet: Sic DEUS gaudet & jocundatur de devotionibus variis, & devotis orationibus juſtorum. Ora igitur ſecurè: quia DEUS magis eſt voluntarius homini ad dandum, quàm homo voluntarius ſit ad petendum.*

Cap. LXXXV.

De portatione Domini in ſiniſtro humero ſecurim.

QUodam ſero in Oratorio ſuo domi exiſtente, apparuit ſibi Dominus facta ſuper eam manu Domini. Apparuit autem in veſtibus lineis albis quaſi in Alba ſacerdotali & ſuccinctus, facie quidem ſerenus & pulcher, ſed ſerioſus. Diadema in capite ejus, non de alia materia quàm de

ſola luce erat: in ſiniſtro quoque humero portabat ſecurim. Et progrediens ait: *ego vado ſuccidere arborem majorem, quæ eſt in terra.* Timuit igitur puella, ne forſitan Dominus Nicolaus Papa IV. eſſet, & optavit in corde ſuo: O ſi Papa eſt, ſi mihi tunc incuteret aliquem timorem! Si autem eſſet aliquis Rex magnus infidelis, ſi mihi tunc immitteret aliquam ſpiritus dulcedinem! & mox utrumque ſenſit, & timorem, & ſpiritualem conſolationem.

Tunc una devota perſona dixit Domino: O Domine, quid vultis facere? Et Dominus ad eam ait: *Vos eſtis mirabiles, vos non ſinitis me percutere & facere ultionem: propter hoc nec homines me curant, nec timent, nec venerantur.* Tunc illa cogitavit in corde ſuo: modò, O Domine, tu tamen dixiſti, quòd velis hominem ſalvare. Hæc ea cogitante, Dominus ait: *vos tenetis me.* Et accipiens ſecurim Dominus de humero vibravit manu. Ipſa quoque intellexit in illa vibratione, quòd multi eſſent morte caſuri, & maximè viri magni. * Et extendit Dominus partem ſecuris acutam dicens: *Si incepero percutere, faciam plagam magnam.*

* *inter hos fuiſſe & Rudolfum I. Imp. patet infra ex cap. 169.*

Cap.

Cap. LXXXVI.

De apparitione iterata Domini gestantis in manu gladium evaginatum, non levatum, sed demissum.

SEquenti die veniens manè ad Ecclesiam ante primam Fratrum, facta manu Domini super eam, vidit Dominum in vestibus albis, sicut priori die, vultu serioso & formoso, habentem in manu gladium evaginatum, non levatum, sed demissum. Et dixit: *ego volo percutere, terrere hominis super terram, & timorem eis incutere.* Videns illa hæc & audiens, tristis efficitur, & orabat Dominum, ut ab ea auferret visiones has terribiles, quia ipsa non esset idonea iram suam mitigare, sed prona augere. Cogitavit quoque amara & tristis, si forsan totam regionem delere vellet. Et audivit vocem dicentem: *ego non faciam consummationem.* Et mirabatur super eo, quòd vox, quæ solitò in ea loquebatur, modò de se in prima persona loquebatur dicens: *ego faciam*, vel *ego non faciam:* quæ antea semper in tertia persona loquebatur, sicut patet in superioribus revelationibus, & in anteproxima, ubi loquitur vox non quasi de se: *vult Deus, ut exoretur.* Tunc vox ad eam: *non habet*, inquit, *Angelus locum in*

in anima, ut in ea loquatur, sed solus Deus, qui olim loquebatur per Beatum Gregorium, cùm scriberet, & sacram scripturam exponeret: ego sum, qui loquor in te.

Cogitavit autem tunc: si omnia vera essent, quæ ei revelata sunt de his terribilibus. Et vox ad eam: *omnia*, inquit, *vera sunt, sed non omnia contingent: quia boni & devoti homines avertunt iram DEI, & propter hoc DEUS de sua pietate facit tibi hujusmodi revelationes, volens rogari, ut quiescat ab ira sua.*

Cap. LXXXVII.

De quodam libro Bernardi super Cantica, quem Confessor suus voluit facere conscribi pro Conventu.

MOx autem post hæc apparuit ei visio illa. Vidit enim Dominum in vestibus albis, sicut priùs, & fundamentum quasi pro fabrica struenda. Illa autem hora, quando fuit in hac visione, Frater, ejus Confessor, legebat Missam: & visum est ei, quòd dictus Frater habebat librum Beati Bernardi super Cantica, quem idem Frater voluit facere scribi pro Conventu. Et Dominus ait ad Fratrem: *tollens librum, divide eum in quinque partes, & pone in funda-*

da-

damento pro quinque lapidibus fundamenti: quod frater fecit. Et datum eſt ei intelligere, quòd fundamentum eſt ipſe Deus.

Prima pars libri pro fundamento poſiti ſignificat ipſum Fratrem, qui præ devotione intendebat facere ſcribi dictum librum ad uſum Fratrum.

Secunda pars libri ſignificat utilitatem inde hominibus futuram.


Tertia pars ſignificat amorem Dei, qui de ſcriptura libri & uſu debet excitari in cordibus devotis.

Quarta pars ſignificat laudem Dei inde futuram, non ſolùm hìc, ſed etiam in patria.

Quinta pars ſignificat dulcedinem divinæ conſolationis in cordibus devotis generandam.

Et dictum eſt ei, quòd non ſolùm ſcriptura hujus libri, ſed & omnis ſacra ſcriptura in fundamento hoc poſita eſt pro ædificio ſpirituali conſtruendo. Et dictum eſt ei, quòd incomparabiliter gratius eſt Domino hujusmodi ædificium ſpirituale in animabus devotis, quàm alicujus materialis templi ſtructura.

G Cap.



Cap. LXXXVIII.

De verbosis solatiis & cachinnis & aliis hujusmodi in religiosis.

POst hæc ad se reversa est, & recedente Fratre prædicto ab Altari, supervenit alius Frater volens Missam legere: & sub Missa iterum facta in spiritu, visum est ei, quòd ille Frater Missàm legens haberet coronas de albis rosis, quas idem Frater fregit & dissipavit. Ipsa autem mirabatur, quid nam hoc esset. Et dictum est ei: *rosæ albæ significant sanctitatem vitæ hujus Fratris.*

Quòd autem rosas dissipat, significat verbosa solatia, cachinnos & risus excitantia, quæ in conspectu DEI multùm nociva sunt suæ sanctitati. Et adiecit vox dicens: *valde est reprehensibile, & displicent DEO in Religiosis hujusmodi levitates, quia in talibus multa proferuntur mendacia, quamvis jocosa.*

Cap. LXXXIX.

De duobus retibus, totum Orbem tegentibus, * *& eorum expositionibus.*

* *Cod. tegentia.*

UNa die, cùm communicâsset hæc virgo, & eam Dominus solitò consolatus fuis-

fuisset gustu spiritualis dulcedinis & etiam corporalis de corpore DOMINI, facta est super eam manus DOMINI: & vidit duo retia totum orbem tegentia. Unum erat totum nigrum, & sub isto erant conclusi omnes peccatores criminibus venialibus & mortalibus irretiti: & multi conabantur transire rete, quemadmodum avis incaveata nititur exire caveam, nec potest. Aliqui in isto reti jacuerunt in dorso omnino immobiles: & significant homines desperatos, nec voluntatem habentes emendandi vitam suam, sed vitam suam in peccatis finire volentes.

Rete verò secundum erat quinquepartiti coloris. Alicubi erat rubeum, alicubi glaucum, alicubi nigrum, alicubi flaveum, alicubi album. Hoc rete nullum incluserat, sed erant homines desuper ambulantes, ita tamen, quòd nullus erat, qui non impingeret in rete, modò pedes implicando, & cadentes modò manus, modò pedes rumpebant: modò caput aliquibus cadentibus de trunco quasi amputatum separabatur, ita tamen, ut in utroque vita remaneret, hoc est, in trunco & in capite amputato. Alii incedendo graviter cespitabant. Vidit quoque multos sibi charos in Domino sic cadentes: & tristis facta est, nec adhuc visionem intellexit.

Tunc vox divina solita ad eam, ei rete primum, sicut dictum est suprà, exposuit. Secundum rete dixit esse impedimenta vitæ præsentis, ita ut non sit homo, qui non offendat.

Qui ambulant in rubea parte retis, sunt illi, qui laboribus & fatigationibus corporalibus & sollicitudinibus mentis cruciati propter victus necessaria, se & suos sustentant. Quod autem cadunt frangendo pedes, hoc est, quòd ipsi impediunt bonam voluntatem & bonum propositum, quod habent, ad actum perducere. Quòd autem eis manus in casu franguntur, hoc est, quòd ipsi modicitate operum bonorum sunt contenti: & quia eos oportet pro vitæ necessariis laborare, satis eis videtur, quantumcunque modicum se exercent piis exercitiis.

Pars retis glauca significat levitatem animi, tamen absque mortali peccato. Et in hac parte retis incedentes, cadentes sunt sicut primi.

Ambulantes in parte flavea retis sunt Prælati boni. Flaveus color est color cœlestis, & significat intentionis rectitudinem, quam habent in corrigendo. Isti autem maximè cadendo, capite truncantur: quia nimio rigore, quem habent in regimine & prælatione contra subditos, offendunt: tamen, quia recta intentione

&

& Zelo justitiæ hoc faciunt, hinc est, quôd caput cum trunco remanet vivum, nec mortaliter peccant, licèt sic graviter sæpe offendant. Isti etiam videbantur foramina retis & laqueos contrahere, ut faciliùs desuper ambulantes non profundè in rete caderent, hoc est, quòd recta intentione excusantur, & Zelo justitiæ agantur, ut minus eis imputetur.

Ambulantes in parte nigra retis sunt, qui vexantur tentationibus carnis, & avaritiæ, & similibus.

Ambulantes in parte retis alba sunt personæ spirituales, quæ student sanctitati vitæ, prout possunt: & isti minùs impegerunt, & faciliùs transierunt: & tamen etiam impegerunt.

Sacerdotes devoti propter suffragium Sacræ Eucharistiæ, quam continuè sumunt devotè, minùs aliis bonis hominibus impegerunt, tamen etiam impegerunt: nam nullus mortalis, quantumcunque justus, super hoc rete incedere valet sine impedimento, & sine casu culpæ venialis.

Cap. XC. & XCI.

De quodam Sacerdote, ſecundam Miſſam celebrante, & de reprehenſione ſui ipſius, ſcilicet hujus puellæ, & de ſuo deſiderio, & de inſtructione ejus orationis & ejus cogitatione.

UNa die audiens Miſſam horruit ipſum ſacerdotem celebrantem, neſciens, ob quam cauſam. Tunc vox divina ad eam: *iſte*, inquit, *Sacerdos legit hodie ſecundam Miſſam, nec gratiam percepit nec percipit Sacramenti.* Extunc inſtabat hora, quâ Sacerdos ſumeret Corpus Domini, & hæc virgo percepit guſtu corporali miram dulcedinem, ſicut ſi ſacramentaliter Corpus DOMINI percepiſſet: ſenſit nihilominus in anima indicibilem ſuavitatem ſpiritus.

Poſt Miſſam igitur quæſivit, quis eſſet Sacerdos iſte? Et dictum eſt ei à quadam perſona Eccleſiæ illius, quòd eſſet unus Sacerdos, qui eadem die alibi etiam legiſſet Miſſam, & iſta Miſſa eſſet ſecunda quam cauſâ victûs ſui legiſſet. Tunc ipſa eſt miſerta ſuper miſeria illius Sacerdotis. Et tandem ad cor reverſa cœpit ſe ipſam reprehendere, dicens in corde ſuo: O paupercula, poſſes tu cogitare de te ipſa, &

& sollicita esse, quomodo pertingeres ad desiderium tuum!

Erat autem desiderium suum, ut semper portaret Dominum memoriter cum amore in pectore suo. Hæc ea cogitante, vox divina ad eam: *Potes*, inquit, *obtinere, quod desideras, si feceris, quæ tibi dico. Cùm accedis ad cibum sumendum, antequam ponas cibum in os, sic ora DEUM in corde tuo: Domine, oro te, sicut nobilior substantia hujus cibi corporaliter transit in corpus meum & sanguinem, & ejus nutrimentum, & ignobilior in secessum vadit: Sic dona optima, quæ à te sunt, transeant in nutrimentum spirituale animæ meæ, & quæcunque animæ meæ non expediunt, ab ipsa rejiciantur. Item cùm es in labore, eundo pro indulgentia & similibus, cogita laborem Salvatoris, quô pro te laboravit. Include eum tuis laboribus, sicut ipse inclusit laboribus* (suis) *omnes, qui suam erant facturi voluntatem, bajulando quasi in brachiis amoris, quemadmodum mater puerum inter ulnas bajulat. In hoc recompensas DEO laborem & fatigationem, quam pertulit pro te.*

Cùm es in oratione, primò desidera tibi ipsi dulcedinem orationis & incendium, & ex hoc innotescêris omnibus sanctis, quòd sis filia Dei, & ipsi impetrabunt tibi augmentum gratiæ. Nam ipsi videntes ex hoc instaurationem civitatis supernæ accelerari & corporum suorum in-

innovationem, multùm congaudent. Post hoc dilatare foras ad proximum tuum, sic desiderando in corde tuo, quòd, si posses, libenter velles placare iram DEI. quam omnes peccatores merentur. Et in hoc respondes divinæ dignationi Filii DEI, qui ad hoc venit, ut peccatores Deo Patri reconciliaret. Item desidera in corde tuo omnibus salvandis gratiam DEI.

Nunquam enim frustratur tale desiderium ex corde sic affecto: quia semper aliquis DEO largiente percipit aliquam gratiam.

Cap. XCII.

De quodam Fratre prædicante de S. Francisco, qui nimis jactanter eum commendavit.

QUadam vice prædicavit quidam Frater de Beato Francisco, & nimis jactanter eum commendavit, eum præferendo Beato Petro & aliis Apostolis & Sanctis, ita ut audientes scandalizarentur. Et hæc virgo etiam præsens fuit, sed multùm de hoc doluit. Tunc vox interna ei dixit: *ecce propter istam arrogantiam & jactantiam permittet Dominus maximum scandalum & ignominiosum evenire Ordini, eò quòd talis jactantia & derogatio Sanctis facta displicet Deo.*

Unus

Unus autem Prælatorum, ſcilicet Cuſtos, interfuit prædicationi, cùm Frater ille prædicaret: & ipſe Cuſtos & alii Fratres multùm fuerunt turbati contra illum Fratrem propter illam prædicationem, ita quòd Cuſtos vocatis ſenioribus Fratribus ſufficienter reprehenderit eum, & fecit ei erubeſcentiam ſatis magnam, & punivit eum, dictâ ab eo culpâ ſua. Et hoc factum fuit modico intervallo eadem die poſt illius prædicationem. Serô denique facto, cùm adhuc eſſet in eccleſia hæc virgo, facta eſt vox ad eam: *Placata eſt ira Dei, & placatus Dominus ſuper malo, quod dixerat facere ordini propter exceſſum prædicantis.*

Tunc ipſa in corde impatiens cogitavit: quàm mutabilis es Domine! Manè autem facto, cùm communicâſſet, vox iterum intra eam loquebatur: *Cur iraſceris ſuper bonitate & benignitate DEI? Sic namqúe tibi erit placabilis, ſicut aliis, tamen poſt offenſam ſi culpam tuam agnoveris. Cùm enim Deus offenditur, ſi humiliter culpa cognoſcitur à delinquente, Deus ſtatim ignoſcit, quemadmodum in David factum eſt, qui, cùm Angelus populum percuteret, culpam ſuam humiliter agnovit, mox Angelus, Domino parcente percutere ceſſavit. Et ſi aliquando delinquens delictum & culpam non recognoſcit, & tamen ab aliis Domino ſatisfit, Dominus*

placatur, ſicut factum eſt in filiis Job & amicis ejus, pro quibus Job ſatisfecit ſacrificium offerendo.

Ipſa autem neſcivit, quòd facta fuit juſtitia de jam dicto Fratris exceſſu, unde Dominus mutaverat ſententiam tam citò. Et occurrit mihi in memoriam Jonas Propheta, & ſententia Domini de Ninivitis, quam Dominus ita ſubito revocaverat, etſi Jonas iraſcebatur. Ego autem dixi ei, quomodo Cuſtos effeciſſet juſtitiam de illo Fratre. Et tunc ipſa fuit conſolata ſuper bonitate Dei.

Cap. XCIII.

De offenſione Domini de Ordine Minorum, quòd tam negligenter Fratres requirunt Dominum.

CUmque Dominus dixiſſet ei, ſicut tactum eſt, quòd mox Dominus parceret & ignoſceret, cùm quis culpam ſuam recognoſceret, adiecit dicens: *Cum indulgentia culpæ Dominus paratus eſt addere dona gratiæ, ſi eſt, qui requirat.* Addidit quoque Dominus dicens: *in hoc Dominus ſatis offenditur, & irreverentia ei exhibetur, cùm Ordo iſte ſit in tanta ſanctitate & in perfectione fundatus, quòd tam negligenter Fratres requirunt Dominum & gratiam Dei.*

Tunc

Tunc ipsa cogitans allegavit in corde suo pro Fratribus, quia ipsi essent in continua laude Dei, quomodo ergo non requirerent gratiam DEI? Et vox hæc respondit, verbum hoc intendere contra Fratres, non omnes, sed contra remissos, qui jura Ordinis custodiunt & coguntur servare, nihilominus jocis & trufis * vacant, & negligunt gratiam, quam Dominus paratus esset offerre eis, si ipsi requirerent devotè.

* *i. e. nugis.*

Et positus fuit ei unus frater juvenis in terminis, qui satis fuit sollicitus de cultu Dei in cantando & laudando DEUM, sed in privatis orationibus fuit lepidus & remissus. Et ait vox divina: *Frater N. laudat Deum satis jugiter cantando, sed quia negligens est orare Deum, ipse incidet in multas tribulationes, & quasi usque ad mortem tribulabitur, sed DOMINUS servabit eum à ruina.*

Cap. XCIV.

De sex generibus devotorum hominum.

INstantibus diebus Rogationum, in Dominica ante Ascensionem, cùm esset in ecclesia orans, & hora prandendi quasi transîsset, intra se audivit vocem dicentem

tem ſibi de ſex generibus devotorum hominum, quibus Dominus diverſimodè ſe & ſua dona largitur. Quidam ſunt, qui petunt, & ſtatim accipiunt. Quidam petunt, & non ſtatim accipiunt; & æquè tamen diligit eosdem, quantum primos.

Primi, qui petunt & accipiunt conſolationem, ſunt innocentes, quos Dominus tenerè diligit, qui nunquam peccaverunt mortaliter: quibus ſi DOMINUS differret conſolationem, tepeſcerent, quia non haberent remorſum conſcientiæ de peccatis, quæ eos ſollicitarent.

Secundi, qui non ſtatim accipiunt conſolationem, quam petunt, hi ſunt verè pœnitentes, quibus, quamvis eos Dominus æquè diligat, ùt illos, ne tamen ſuperbiant de donis Dei ſubitò acceptis, Dominus aliquando differt dare.

Tertii quærunt Dominum, & ſtatim inveniunt.

Quarti quærunt ſolliciti, nec tamen ſtatim inveniunt. Qui quærunt, & mox inveniunt, ſunt boni clauſtrales, ſegregati ab hominum converſatione, &, quia humana deſtituuntur conſolatione, Dominus non ſuſpendit eos diu à conſolatione, & ſe ipſo eos conſolatur, cùm à Domino requirunt.

Qui autem quærunt, nec ſtatim inveniunt, ſunt boni Religioſi, qui tamen exte-

terioribus occupationibus neceſſe habent occupari.

Illis ſe ſubtrahit Dominus & abſcondit, ut ab exterioribus intus redeant, (&) quaſi faſtiditi divinam conſolationem ſollicitè requirant.

Quosdam Dominus expectat cum donis: quidam poſt Dominum vadunt continuè ſuis donis inhiando. Primi ſunt boni Religioſi, quibus Dominus ſemper præſtò eſt dare dona ſua, quando ipſi à Domino poſtulaverint. Secundi ſunt pauperes ſpiritu & devotæ perſonæ in ſæculo Domino famulantes, ſedulò ipſum Dominum ſequentes de prædicatione ad prædicationem, de una eccleſia ad aliam, terentes Sanctorum limina pro indulgentia vel pro devotione, non valentes ſatiari: quantumcunque eis Dominus de liberalitate ſua largitus fuerit conſolationis & gratiæ, plus ſemper eſuriunt Dominum. Unde illud: *qui me edunt, adhuc eſuriunt.*

Cap. XCV.

De præventionibus diebus ſolemnibus in communione, & de anima cujuslibet hominis devoti, quod ſit ſacrarium Domini & pixis Deo grata.

UNa vice ſtans in Eccleſia ſollicitabatur de

de communione Corporis Christi. Timuit enim, quòd non posset quieto spiritu communicare in die pentecostes, qui erat in januis: quia ad locum alium ob aliquam causam erat meatura, ubi in die solemni familiarium & notorum frequentiam sibi timuit fore nimis infestam. Unde cogitavit, quòd forsan in vigilia, pentecostes sibi magis expediret communicare: Sed magis desiderabat fieri hoc in die missionis Spiritus Sancti.

Ipsâ sic sollicitâ in cogitatione, vox interior dixit ei: *tu impediti es sensûs.* Et ait, quòd *expediens esset in casu aliquando prævenire dies solemnes in Communione. Nec DEUS est res consumptibilis, sed permanens in anima devota & DEUM amante: & corpus devotè communicantium est Domini sacrarium, & anima devota est pixis multùm Deo grata, in qua se Dominus recepit.* Et adjecit vox divina dicens, quòd *Sacerdos devotè celebrans est Domino hortus delitiarum, ubi Dominus delectatur quiescere.*

Cap. XCVI.

De ascensione Domini ad cœlos.

IN die Ascensionis Domini communicavit Corpori Domini, & ante Communionem cœpit cogitare, quàm desolabile modò foret de recessu corporali Salvatoris:

ris: & sæpe solita fuit affici mœstitia eo tempore, cùm talem recessum volveret in mente. Priusquam autem communicâsset, facta est super eam manus Domini, & vidit in spiritu Ascensionem Domini, & quasi per totam diem usque ad vesperam erat in ista visione, interpolatim tamen: quia aliquando revertebatur ad se, non tamen plenè, sed quasi attonita.

Cùm autem mihi aliqua retulisset de ipsa visione, ipsa penè post triduum existente in ecclesia, sub Missa cœpit timore titillari: quòd forsitan non benè & præter veritatem mihi retulisset. Tunc facta super eam manu DOMINI, novo genere visionis eam Dominus visitare dignatus est. Nam cum peteret aliquas innovationes spiritus præambulas visioni ipsa geniculans, erecta oculos aperuit, &, cum esset ecclesia plena populo, apertis oculis nullum vidit. Et visum est ei, quòd oculi & visus in tantum dilatarentur, ut centuplum latiores & apertiores haberet oculos solitô: & quasi in momento vidit, & ostensa sunt sibi arcana immensa & incomprehensibilia. Et audivit vocem intra se dicentem sibi: *Ecce hæc sunt, quæ tibi priùs ostensa sunt.*

Apparuit autem Dominus in forma humana amabili & decora, rutilo amictus lu-

lumine ſicut veſtimento : & turba Diſcipulorum circa ipſum non nimis magna, Angelorum autem multitudo innumerabilis.

Et audivit Dominum loquentem Diſcipulis : *aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum, & omnes deſiderantes me in carne mea aſſumo mecum, deſideria eorum præſentialiter habendo. Carnem meam in cæleſtia fero ad decorem mei, & voluptatem, & ad præmium, ut præmietur de omnibus, quæ pertulit : & omnes electi præmiabuntur in ea, ſed diverſimodè. Nam aliter Martyres, &, qui pro me paſſi ſunt, intuentes eam delectabuntur : aliter virgines, aliter alii electi.*

Addiditque Dominus loquens ad Diſcipulos : *Si non abiero, non mittam Spiritum Sanctum : ſi autem abiero, mittam vobis eum, ut maneat vobiſcum in æternum.*

Cap. XCVII.

De ſpiritu S. quem diverſi diverſis modis accipiunt.

DIctumque eſt ei, quòd diverſi diverſimodè accipiunt. Accipiunt pœnitentes, & peccata deſerentes. Item, accipiunt eum, qui proponunt, & ſtudent in bono proficere, & hi pleniùs accipiunt. Accipiunt etiam Deum amantes. Item, qui-

quibus DEUS in omnibus ſuis operibus placet, ſuam voluntatem divinæ voluntati conformantes: & iſti ſuperabundantiùs accipiunt Spiritum Sanctum, ita ut alii ab ipſis inflammentur, & illuſtrentur. Sic datus eſt Spiritus Sanctus Diſcipulis, quo ſibi totum mundum ſubdiderunt.

Cap. XCVIII.

De deceptione diaboli, qualiter animas decipit.

DIxitque ei vox interior, quòd *aliquando igne divino anima intus, & foris omnia membra corporis ſuaviter inflammentur: & tunc Diabolus maximè ſtudet ſuperſeminare Zizania, & decipere, quia poteſtatem habet à Domino (tentandi) aliquando hominem hujusmodi, quemadmodum Beatum Job, ut homo ſit humilis, & non inſoleſcat de gratia illa.*

Accidit enim, ſi homo non timoratus & cautus, cùm ſic ſuaviter ardet in membris omnibus quòd diabolus ſibi aliquando offert ſuavitatem fallacem, & inde homo aliquando incautus labitur in corruptionem. Et maximè ille nequam ſpiritus hoc facere conatur, qui tibi apparuit in luce quadam, & deprehenſus à te dixit, quòd appellabatur fallax lux, ſive decipiens lucem. Hic virus ſuæ fraudis talibus conſolationibus conatur infundere.

Post modicum ipsa cœpit quasi turbata cogitare: quia homo tunc non esset compos sui ad cavendum sibi intendens dulcedini consolationis, quâ tunc animâ perfunditur per devotionis incendium. Tunc vox intra ipsam valde decenti verborum urbanitate & honesta circulatione illud præcavere docuit, dicens: *imò caveri potest: sed caveatur omnis contactus, quô, si non caveatur, ruitur.* Et intelligenti satis dictum fuit. Item, dixit non illa de mulieribus habentibus muliebria, scilicet quòd cavendus eis esset à contactu nimio.

Cap. XCIX.

De Angelis in triplici differentia.

SIcut jam dictum est, quòd Dominus, velut ascensurus ei apparuit apertis oculis, sed immutatis luminibus, apparuit etiam ibi multitudo Angelorum innumerabilis. Vidit quoque radium immensæ claritatis per aëra de cœlo descendentem, quasi stratam spatiosam, in qua Angeli inexplicabili densitate descendebant, distincti tamen & absque compressione propter sui subtilitatem.

Dixitque, quòd Angeli erant in triplici differentia. Majores erant circa Dominum eo adhuc in terra stante, & ipso ascen-

aſcendente ſemper ei viciniores, & ipſi toti ardebant in Domino, & erant habitu conformes Domino. Nam, ſicut dictum eſt, Dominus erat amictus lumine rutilo vel rubente: ſic & iſti erant rubea luce amicti per totum ita ut ſex alæ, & totum corpus ruberet. Iſta veſtis rubea non erat de aliqua materia, niſi de luce puriſſima, & terminabatur in DOMINO ſupra talos benè ad ſpatium unius manus, & in brachiis à manibus terminabatur ſimiliter benè ad altitudinem manus unius. Similiter& in Angelis. Capilli Domini erant longi & lucidi.

Angeli ſecundæ differentiæ erant amicti luce alba, ſed alæ erant varii coloris, mira claritate & pulchritudine fulgentes.

Angeli tertiæ differentiæ erant veſtiti quaſi aurea luce, habentes alas pulchra varietate fulgidas. Ipſa quidem intellexit, quòd iſti eſſent Angeli, qui mittuntur in miniſterium noſtræ ſalutis.

Varietas in alis ſignificat varietatem virtutum, quas operantur in nobis. Et omnes Angeli erant perlucidiſſimi.

Cap. C.

De aſcenſu DOMINI propriè.

DOmino adhuc ſtante cum Diſcipulis, & majoribus Angelis luce ignea fulgentibus, & circa ipſum exiſtentibus, audivit ipſa voces Angelorum in excelſis cantantium, ſed eos (*non*) videbat. Poſtea omnes Angelos in aëre deſcendentes, & etiam eos, qui erant circa DOMINUM ſtantes in terra, audivit ſimul omnes cantare unanimiter. Et viſum eſt ei, quòd pſallerent illum Pſalmum: *Omnes gentes plaudite manibus*, per totum, & aliquos verſus de Pſalmo: *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus.* Pſallebat autem ſic, ut alternatim Chorus Choro reſponderet. Vidit quoque multitudinem animarum infinitam cum Domino. Et ait, quòd crederet plures ibi fuiſſe animas beatas cum Domino aſcendentes, quàm modò ſint Chriſtiani viventes ſuper terram. Et illæ omnes ſimul cum Angelis pſallebant.

Cumque pſallerent tam Angeli quàm animæ beatæ, Dominus manibus junctis devotè & ſurſum ante pectus erectis, & nubeculâ ſub pedibus ejus, aſcendit: & omnes beati ſimili modo junctis manibus cum Domino aſcenderunt. Domino autem aſcendente quidam chori Angelorum ipſum

ipſum præcedebant, quidam ſequebantur, alii à dextris, alii à ſiniſtris ipſum & cum ipſo comitabantur ſimul cum beatis animabus. Nullus autem Angelorum ipſum contingebat.

Illis verò omnibus ſimul jubilantibus Dominus tacuit, quousque aſcendiſſet aërem iſtum inferiorem, & tunc primò cœpit cum illis pſallere. Ipſa quoque intellexit, hoc ideo Dominum feciſſe, quia nunquam gaudere vel ſigna lætitiæ exterioris voluit oſtendere, quamdiu eſſet in hoc Mundo.

Poſt hanc viſionem magnam ad ſe reverſa, facta fuit valde debilis in omnibus membris ſuis, & vehementer toto corpore fatigata, ſed corde vigorata fuit & confortata.

Cap. CI.

De primo adventu DOMINI & Angelis exiſtentibus in Miſſa.

INfra Aſcenſionis Octavam, cùm audiret Miſſam, Corpus DOMINI cupiebat videre. Ad hoc enim magnam fidem habuit & ferventem devotionem. Tunc vox divina intra ipſam loquebatur ei dicens: *Ecce Dominus dixit diſcipulis ſuis in Aſcen-*

Ascensione, quòd iterum esset venturus, & ipsi eum essent visuri. Illud videre *refertur ad diem judicii, quando eum videbunt omnes homines: illud autem* venire *refertur ad quotidianum adventum, quô venit in Mysterio Altaris: & tot Angeli assistunt ei ibi, ubicunque peragitur hoc Mysterium à quocunque Sacerdote, quot ei astiterunt in Ascensione sua.*

Cap. CII.

De subtractione dulcedinis gratiæ Divinæ.

Contigit hanc puellam pro aliquo negotio migrare ad unam civitatem, & in die Pentecostes ibidem communicavit: &, quia modicum sensit ibi consolationis consuetæ, multùm fuit dejecta. Dominus autem consueverat eam quotidie consolari, ita ut sub Missis, quas audivit, sentiret indicibilem dulcedinem corporali gustu & spirituali. Si aliquando ei Dominus hanc refectionem subtraheret: (quod tamen raro fiebat:) nimis desolabatur. Accidit tamen modò, quia erat in tumultu forensi & strepitu seculari, quòd Dominus ei subtraxit consolationem benè per quatuordecim dies, ita ut rarissimè & permodicum aliquando degustaret suavitatem divinæ dulcedinis solitam, &, sicut dixit, quasi qui modicùm ex-

extremitate linguæ attingit modicum mellis, licèt nulla possit esse comparatio mellis ad illam dulcedinem, sicut etiam referebat.

Ex hujus igitur refectionis subtractione ipsa fuit facta quasi languida corpore & anima. Dixit quoque, quòd palatum sibi quasi aruit, & linguæ gustus ita imminutus fuerit, ut omnia, quæ gustaret, quantumcunque delicata, forent omnia insipida sibi, sicut homini febricitanti.

Cap. CIII.

De mirabili communicatione corporis CHRISTI.

QUarta decima igitur die erat Beati Johannis Baptistæ solemnitas, & ipsa cogitaverat communicare. In nocte ergo, cùm quiesceret, in somnis ipsa sensit miram spiritus suavitatem & immutationem subitam, in tantum ut de somno evigilaret. Et sic ebria spiritu & repleta immensa lætitia exiliens, & manus ad cœlum levans, cœpit gratias Deo agere dicendo: *Veni Sancte Spiritus.*

Putavit enim, quia foret dies solemnis Pentecostes.

Deinde veniens ad Ecclesiam exhilarata in spiritu communicavit: & mox, ubi

ſumpſit Corpus Domini in os, ſenſit corporali guſtu incomparabilem dulcedinem, nullamq́ue panis proprietatem vel qualitatem ſenſit in ſapore nec attactu: aſperitate omni breviter * circumſcripta qualitate ipſum quoque Manna vivum & verum, non maſticatum, nec aliquo modo dentibus ab ea contrectatum, ſubito deſcendit usque ad præcordia cum immenſa ſuavitate, facta circa ipſam immutatione tam in ſpiritu quàm in corpore. Et viſum eſt ei, quòd cor & omnia præcordia dilatarentur ad faciendum locum ſalvatori ſuo: & in totis præcordiis nihil aliud ſenſit, quàm Mannæ illius ſuavitatem, quam nemo novit, niſi qui accipit.

*loeus vitiatus.

Facta quoque ibi in extaſi plura vidit, quæ enarrare neſcivit: quia, ùt puto, non placuit Domino ea alicui revelari. Dixit enim mihi aliquando, quòd ſæpe accidit, ut ea, quæ in revelatione acceperat, quæ etiam enarrari difficillimum vel impoſſibile ſibi videbatur, & jam elapſa erant ab imagine, tanta celeritate reddebantur ejus memoriæ, & tanta facilitate enarravit, quòd ipſa multum mirabatur, ex hoc intelligens, quòd eſſet voluntatis DEI, quòd mihi pauperi & peccatori indigno panderet ſibi revelata: etiam, quod ei divina vox retulit, quæ ſolitò in ea loquebatur.

Cap.

Cap. CIV.

De interrogatione DOMINI, quare gratiam subtrahat?

PErduravit itaq; supradicta suavitas in ea benè usq; ad meridiem. Ante meridiem autem venit ad Ecclesiam S. Stephani* ante Ciborium, ubi Corpus Domini collocatur, & ibi reverentiam faciens familiariter confabulabatur in corde suo dicens: Domine, quare hoc facis? Cur te tantùm subtraxisti mihi? Tunc vox intra eam ait: *Quemadmodum famelico delicatus cibus sapit, & eum delectat: sic Deus delectatur in desiderio animæ ipsum sitientis, & eum quærentis.* Tunc illa: ita Domine, ergo tu delectando ita quæris, quæ tua sunt? Quid autem erit nobis? Nos quidem grave pondus portamus dilationis. Tunc vox ad eam: *propter hoc*, inquit, *Dominus subtrahit se ad horam amicis, ut ferventiùs quæratur. Et hoc lucrum reportant devotæ animæ, quibus sic subtrahitur Dominus. Namq; Dominus rediens per visitationis gratiam, animam illam sponsam tradit spirituali connubio cœlesti Sponso: & omnes sorores animæ, id est, virtutes animæ, quæ in baptismo infusæ sunt ei, innovantur, ita ut anima secundùm singulas virtutes*

* *Nunc Cathedralis & Archiepiscopalis.*

tutes innovata jocundetur. Quemadmodum si homo haberet decem filias, & unam ad nuptias traderet, reliquæ filiæ & sorores illius cum sponsa & sorore convivantes jocundarentur. Sic agitur in anima, quia, cum Dominus eam post dilationem aliquam visitat, cum ea nuptias spirituales celebrat.

Cap. CV.

De decem filiabus animæ.

DIe altero, cùm ipsa esset in loco apto devotioni, venit sibi in mentem de illis decem filiabus, & desiderabat scire, quid significabant. Cogitavit enim, quòd non otiosè ille numerus ibi positus esset. Tunc in continenti vox, quæ loquebatur in ea, dixit: *septem filiæ sunt septem Dona Spiritus Sancti: aliæ tres filiæ sunt tres potentiæ animæ, in quibus anima præfert imaginem DEI.*

Cap. CVI.

De devotione orationis.

IN die Sancti Johannis Baptistæ post Nonam, cùm esset in ecclesia, cogitavit, quòd devotum esset illa die solvere votum, quod fecerat.

Voverat

Voverat enim cuidam personæ dicere duo millia *Aue*, quæ jam dixerat ad ducenta. Erat autem valde debilis corpore. Nam frequenter post extasim & visitationes sive revelationes viribus corporalibus destituebatur. Tunc vox loquebatur in ea, & dixit: *Deus non pensat multiplicationem orationis, sed devotionem. Unde aliquando unius devota oratio super aliqua re æquiparatur magnæ multitudini orantium in conspectu Dei, sicut aliquando fiunt processiones, & portantur Reliquiæ à fidelibus, ut impetrent aliquid à Domino.* Tunc illa cogitavit: O Deus, qui sunt tales? Et revelati sunt ei nominetenus plures, quorum oratio & devotio pretiosa est in conspectu DOMINI.

Cap. CVII.

De abjectione cujusdam Fratris, qui hujusmodi causâ exivit Ordinem.

ACcidit ita, ut unus Frater bonus & juvenis, sed valde devotus, suadente diabolo, una nocte ab Ordine recederet, non levitate carnis ductus, sed sub specie boni deceptus. Erat enim dictus Frater multùm gratiosus in conspectu omnium & dilectus. Ille autem timens favorem ho-

hominum, ne fortè non posset salvare animam suam in isto favore, cogitavit se abjectum facere, & exivit. Qui mox pœnitentia magna ductus, reversus est, veniam postulans. Rumor autem exierat inter vicinos Fratrum, quòd unus Frater exiisset Ordinem, & rediisset. Hoc ut innotuit virgini prædictæ, ipsa cœpit graviter dolere, & compati Fratribus & Ordini super scandalo, & etiam illi Fratri, nesciens tamen, quis esset. Tunc vox divina, quæ in ea loquebatur, dixit: *talis Frater est*, nominans eum. Ubi ipsa cognovit, quòd tam sanctus juvenis seductus esset, cœpit nimium flere. Et vox ad eam: *ipse*, inquit, *graviter peccavit & mortaliter, quia tam citò & faciliter vinci se permisit à diabolo, quòd pecuniam contra puritatem Regulæ suæ attrectasset & habuisset.*

Ipsa quoque orans Deum, ut ei ignosceret, audivit vocem aliqualiter sibi indignantem & dicentem: *oportet eum adhuc mei carere, eroq; ei alienus.* At illa: usquequo, inquit, Domine, irasceris? & Dominus ad eam: *non usque in finem.*

Non post multos dies apparuit ei Dominus in magna luce, & in statura magna. & sphæra magna lucis erat in circuitu Domini, & iste, Frater de quo jam est sermo, in sphæra juxta Dominum, & Dominus ibat,

&

& Frater ſequens eum & veniam poſtulans apparuit puſillus apud Dominum: Dominus autem vadens videbatur non curare eum. Frater tamen non ceſſabat humiliter ſupplicare Domino, nec à tergo Domini recedebat. Tunc illa miſerta hujus Fratris, ait ad Dominum: Eja benigne Domine miſerere & porrige ei manum tuam. Cumque illa precaretur, & Frater Dominum inſequeretur, extendit Dominus manum ſuam, & rapiens Fratrem per manum allevavit eum in altum dicens: *ſcito, quia amo te non derelinquam te.*

Cap. CVIII.

De majoritate Sancti Petri & S. Pauli.

IN feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, hora matutinali, cùm oraret, venit in mentem hujus virginis, quis horum major & dilectior foret Domino? Tunc vox, quæ in ea loquebatur, dixit: *DOMINUS illud, quod tenerrimè & ſuper omnia dilexit, hoc eſt, eccleſiam Beato Petro credidit, & commiſit: maximum autem & dilectiſſimum in divinitate, hoc eſt, nomen ſuum, Beato Paulo ad portandum coram gentibus & Regibus dedit & commiſit. Adverte ergo, quem DOMINUS plus diligat.*

Tunc

Tunc illa in corde suo hoc cogitavit: adhuc ego ignoro, quis plùs sit dilectus Domino: nec per hoc, quod mihi dicitur, scire possum.

Desideravit ergo adhuc scire, quis esset magis dilectus. Tunc iterum dixit ei vox: *Beatus Petrus fuit quasi magister exercitus Domini & multitudinis: Beatus Paulus quasi consiliarius familiaris Domini, ac puritate propinquus. Adverte igitur, quem plùs dilexerit.*

Ipsa autem cogitavit apud se, quis adhuc foret plùs Deo dilectus. Et vox iterum tertiò ait: *Beatus Petrus habuit vehementem & festinatum amorem & impatientem amorem ad Dominum: Beatus verò Paulus habuit morosum & ordinatum amorem ad Deum. Adverte ergo, quem plùs Dominus dilexerit.*

Ipsa verò cogitavit sicut priùs: quia nec per hæc intelligere posset, quis esset plùs dilectus, & cessavit cogitare & sollicitari super his.

Maneque facto ivit ad ecclesiam. Cumque audiret Divina, vox subitò in ea loquebatur: *Beatus Petrus magis est dilectus Domino, & maximus in cœtu sanctorum. Unde ipse Apostolatu primus & præcipuus, imitatione passionis devotissimus. Semper enim patiendi desiderium pro Christo gerebat in pectore, & tandem morte & passione simili Salvatoris*

vatoris passioni, hoc est, crucis passus est. Item post Resurrectionem Salvatoris à Salvatore singulariter & solus proprio nomine est designatus. Hæc sunt tria argumenta dilectionis præcipua.

Eodem tempore, gravi dolore hæc virgo cœpit fatigari, ita ut nec ecclesiam visitare posset. Ipsa autem, cùm multas molestias corporalium infirmitatum perpessa foret in vita, hic dolor capitis cæteros, ùt ait, excedebat, & tamen gratanter & lætabunda sustinebat rogans Dominum, ut ipsum dolorem prolongaret, desiderans vicissitudinem quantulamcunque reddere ejus passioni. Sæpe etiam mihi dixit, quòd pati pro Domino mortem ignominiosissimam ex intimis præcordiis desiderabat.

Cap. CIX.

De defensione & salvatione negationis S. Petri & aliorum discipulorum.

Cumque aliquot diebus domi decubuisset, una die Dominica manè vim sibi faciens ivit cum labore ad ecclesiam: ibique cruciata dolore capitis cœpit cogitare de Beato Petro: (festum Beati Petri nuper fuerat:) Cogitavit autem sic: quia, si

ſi Beatus Petrus talem dolorem habuiſſet, nunquam negâſſet Dominum, eò quòd in dolore poſitus homo magis ad Salvatoris auxilium confugiat. Sic ea cogitante, ſubito vox DOMINI in ea loquebatur dicens: *ne cogites ſic. In paſſione enim Salvatoris & tempus, & aër, & omnia ita conturbata & confuſa fuerunt, quòd præ humana infirmitate & Beatus Petrus & alii ſubſiſtere non valebant præ nimia perturbatione.* Et dixit, quòd Salvator magis doluit compatiendo de turbatione Diſcipulorum.

Cap. CX. CXI. & CXII.

De gaudio & utilitate, quam homo habere poteſt ex devota memoria paſſionis Jeſu Chriſti, de excommunicatis, & de contemplatione cæleſtium, & de contemplatione paſſionis Chriſti.

AIt quoque vox: *Salvator maximum amorem ad ſuam paſſionem* (habuit,) *& in hujus amoris ſignum, ſuæ paſſionis memoriale excellentiſſimum, ſcilicet Sacramentum corporis ſui & ſanguinis hominibus reliquit: & quòd homo continuè debeat in memoria habere Dominicam paſſionem.*

Tunc cogitavit ipſa: & quis poſſet ſuſtinere, ut dolorem paſſionis continuè ver-

versaret in corde suo? Tunc vox ait: *Immo gaudium maximum haberi potest ex devota memoria passionis Salvatoris. Propter passionem enim & mortem Christi habetur Sacramentum Altaris, de quo habet anima devota maximum gaudium & utilitatem.*

Primò ex intuitu hujus Sacramenti, quando quis devota fide illud intuetur, semper aliquid percipit gratiæ. *Secundo propter participationem communionis, quam habent fideles de Altaris Sacramento, quando Sacerdos celebrat.*

Hoc enim semper proficit universali Ecclesiæ. Percipiunt enim ex hujus hostiæ salutaris virtute robur contra tentationes peccatorum, ita quòd nemo possit resistere diabolo & propriæ pronitati, nisi adiutus gratia Sacramenti. Et dixit, quòd *omnes fideles percipiunt gratiam in Communione, etiam ipsi peccatores in hoc, quòd impediuntur perficere mala, quæ vellent, vel ad quæ instigantur.* Et posuit exemplum tale: *quemadmodum duellantes in circulo interdum defensantur per suos tutores,* (Grizwertil) *qui perticas, quas portant manibus, interponentes, ictus ex adverso impediunt, & duellantes aliquantulum repausare faciunt.* Dixit quoque quòd *nulli excommunicati aliquid gratiæ percipiunt, cùm tamen alii peccatores percipiant,* ùt dictum est.

Secundò, quia anima percipiens Sacramentum hoc, primò accipit ibi fortitudinem resistendi peccato, & induit quandam sanctam superbiam & indignationem contra peccatum, & incipit ipsum contemnere: etiam cogitationes & motus primos dedignatur.

Secundò induit quandam dignitatem & ingenuitatem, de qua Deus gaudet & gloriatur.

Tertiò anima induit cœlestem & cœlestium amorem.

Quartò induit pulchritudinem & pulchritudinis innovationem quotidianam.

Quintò induit sapientiam duplicem: Prima, quia Deus plùs se ei innotescit & sapit: Secunda, quia Deus plùs quàm aliis sua arcana ei revelat. Hæc omnia dicta sunt ei, cùm esset in Ecclesia, & Missam audiret.

Dixit quoque vox, quòd *anima contemplando cœlestia & divina majorem potest percipere dulcedinem, sed contemplando passionem Christi majorem inflammationem amoris. Et posuit exemplum de Beato Francisco.*

Cap.

Cap. CXIII.

De osculationibus vulnerum Christi, & eorum speculationibus.

EAdem die, cùm venisset domum, vox in ea loquebatur dicens: *anima diligens Deum, semper Dominum contemplari & osculari in suis vulneribus debet. Vulnera enim Salvatoris sunt claritatis tantæ in Corpore Christi glorificato, quòd toti curiæ cælesti præstant amœnitatem & gaudium.*

Primò ergo contemplari debet devota anima Christum spinis coronatum. Hoc enim animam nobilitat, & dignam paterna hæreditate facit in cælis cum Christo.

Secundò intueri debet vulnus manus dextræ: ex hoc habet liberationem, & libertatem, & donorum largitionem.

Tertiò intueatur vulnus sinistræ, ex hoc habet Clypeum & protectionem contra tentationes.

Quartò vulnus pedis dextri intueatur: ex hoc habet constantiam & virtutem patiendi.

*Quinto intueatur vulnus pedis sinistri: ex hoc habet delectationem, id est, * gelust ad spiritualia bona & virtutes.*

* vox Germanica.

Cap. CXIV.

De narrationibus ſanctarum virginum, quæ & quanta eſſent paſſæ propter Dominum.

HIs diebus, quaſi hora meridiana, facta eſt ſuper eam manus DOMINI. Et apparuit ſibi Dominus in veſte, ſicut Sol, refulgenti: & duæ turmæ Candidatorum à dextris & à ſiniſtris ejus. Et ait DOMINUS ad eam: *Eſſeſne libenter cum his?* Quæ ait: utique Domine. Cui Dominus: *interroga*, inquit, *ab eis*, *quæ & quanta paſſi ſunt propter Dominum?* Et primò Beata Katherina, deinde Beata Lucia, Beata Chriſtina, Beata Agnes, Beata Agatha, & cæteræ Virgines & Martyres, quæ ſtabant à dextris DOMINI, narraverunt ei, quæ & qualia paſſæ eſſent, & eorum paſſiones coram ſe quaſi in tabula depictas ferebant, & illa pictura quaſi viva videbatur vel vitam habere.

Tunc ipſa cogitavit: DOMINE, non ſum digna pro te talia pati.

Tunc DOMINUS oſtendit ei Beatum Job in ſecunda turma à ſiniſtris ejus, qui erant omnes miræ pulchritudinis. Et ait DOMINUS: *quia non potes pertingere ad Mar-*

Martyrium, eò quòd non sit Christianorum persecutio, patere tamen voluntariè corporales infirmitates & molestias cum Beato Job, qui libenter pro amore meo eas sustinuit. Ipsa quoque eodem tempore graves passa est corporales dolores.

Cap. CXV.

De perfecto præmio, quod consistit in patientia.

ADdidit quoque Dominus dicens: *Non potest quis ad perfectum præmium pervenire, nisi voluntariè & patienter omnium juncturarum membrorum suorum perferat molestias.*

Tunc ipsa cogitavit: Domine, ego putabam perfectionem meriti & præmii consistere in amore. Cui Dominus respondit dicens: *Non posset quis voluntariè & patienter talia pati, nisi virtute amoris.* Tunc illa cogitavit: Domine, delectaris ergo in passionibus & pressuris tuorum? Cui Dominus inquit: *in hoc declaratur & probatur amor, cùm quis patitur voluntariè & libenter propter Dominum.*

Tunc illa cogitavit: Domine, diligis me? Cui Dominus ait, *diligo: Nec unquam mater infantem uteri sui in tantum dilexit, sicut ego diligo. Argumentum hoc est, quia*

ſanguineum ſudorem in agonia fudi, & in cruce, quidquid fuit reſidui ſanguinis, effudi: & ad hoc me adduxit amor.

Tunc illa cogitavit: Domine, iſta eſt communis dilectio, quâ omnes diligis Chriſtianos. Ad quam Dominus ait: *etiam ſingulari dilectione diligo te: cujus ſignum eſt, quia in corporeis moleſtiis & infirmitatibus interiùs te viſito & conſolor.*

Cap. CXVI.

De ſtrenuo ſervitio hominis, & de ſalutatione Miniſtri Fratrum & ejus inſtructione.

TUnc illa cogitavit de quodam amico ſuo: Domine, ſcio, quia diligit te: & tamen magis diligeret eſſe ſanus, ut ſic tibi ſervire meliùs poſſet. Et Dominus: *Quicunque ſtrenuo ſervitio mihi continuè ſervit, in illius navicula ego ſum, & eam guberno, & duco, &, quòd ille non poteſt, ego perficio.*

Apparuit etiam ibi Fratrum cum magna maturitate ſtantium & expectantium ſalutari à Domino (turba.) Dominus autem converſus ad Miniſtrum Fratrum dixit: *Avete pater. Vos eſtis pater filiorum meorum, quos ego fidei veſtræ commiſi: quòd, ſi incuriæ & negligentiæ regularis vitæ ſucce-*

cre-

creverint per vestram desidiam, væ vobis. Tunc Minister procidens super genua dixit: Domine, tu nosti, quòd omnem diligentiam, quam possum, adhibeo. Tunc Dominus: *cave, inquit, ab omni superbia in correctione & increpatione tua: ad subditos tuos sis exemplaris ita ut magis sis Fratribûs tuîs in choro. Ubicunque fueris apud Fratres, ad minus semel in die coram Fratribus exemplaris causa esse debes in horis & orationibus in choro. Sis communis in cibo, quantum plus poteris, & in aliis.*

Et cùm hæc diceret, intuitus est omnes Prælatos (quia plures aderant) & ait: *Quanta habeo contra vos! Cave etiam, ne per duritiam tuam Fratres apostatantes evagentur*, & alii Fratres *propter austeritatem tuam à Domino separentur. Attende, quòd Dominus, qui dixit Petro, pasce oves meas, etiam ei dixit: non dixi tibi usque septies, sed usque ad septuagesies septies.*

Tunc Minister iterum humiliter procidens super genua dixit: Domine, ego volo libenter in his omnibus cavere mihi.

Cap. CXVII.

De custode Fratrum & Lectore & Gardiano.

DEinde ait Dominus ad Custodem satis durè: *Avete Domne. Vos benè*

deberetis esse magis humilis, & recogitare, unde te tulerim, & quò extulerim: & magis benignè loqui Fratribus, & corripere mansuetiùs, nec habere tam contemptibilia verba ad Fratres.

Deinde allocutus est Lectorem: *avete Domne. Nimis estis piger, & tepescitis à servitio meo propter infirmitatem vestram.*

Quam diu enim est, quòd non audistis Missam? Nimiam sollicitudinem habetis pro sanitate: & nimis estis sumptuosus de pauperum eleemosyna.

Post hoc salutavit Gardianum inclinando & duriter reprehendendo: *Cùm sis Amicus Dei, multùm offendis truphatoriis* & ridiculosis verbis, dissolutionem & cachinnum provocantibus. Facis, quemadmodum lotrix, quæ lavans pannos, dealbat eos in Sole cum magna diligentia, ac postea eosdem pannos in lutum calcat.*

* *i. e. nugacibus.*

Ultimò salutavit unum Fratrem dicens: *Ave fili. Tibi etiam commisi aliquam curam meorum: & quoniam cum fide & sollicitudine eos informâsti & nutrîsti mihi, meipsum cum amore in corde tuo dabo in præmium, & quidquid ædificas exemplis bonis, tibi in præmium coram Patre meo & me reservabo.*

Cap.

Cap. CXVIII.

De anima devota in thalamo contemplationis, & matrefamilias, quæ quinque in domo sua facit.

QUadam die legeram ei quædam Beati Bernhardi ſuper Cantica, quomodo anima ſponſa cunctis affectionibus renuncians aliis, ſoli & tota incumbat amori. Hoc ipſa mente pertractans mirabatur, quomodo honori non intenderet: quia hoc etiam ex dictis B. Bernhardi habetur, quòd *Deus, in quantum ſponſus, non exigit niſi amari.*

Cumque iſta mente volveret, audivit vocem intra ſe dicentem ſibi: *Anima devota in thalamo contemplationis ùt ſponſa non intendit niſi amori: ſed aliàs eſt tanquam hoſpita ſeu materfamilias in domo & procuratrix. Nam materfamilias procurando domum, cum timore mariti & ad honorem, quinque facit in domo.*

Primò *circumſpecta eſt ad educandos filios & filias in moribus & diſciplina. Sic anima ſancta ſe interiùs ſollicitiùs intuetur, & exteriùs ſenſibus cuſtodiam adhibet, & interiores motus & exteriores mores componit.*

Secundò, *materfamilias familiam regit, operi-*

operibus debitis mancipando. Sic anima devota corpus debitæ ſubjicit ſervituti corporaliter operando.

Tertiò, *materfamilias in ſe & in operibus & actibus ſuis eſt benè morigerata. Sic anima devota in omnibus ſuis vigiliis, jejuniis, orationibus & aliis eſt benè ordinata & modificata.*

Quartò: *Materfamilias eſt ſollicita, quo modo marito placeat, & ejus voluntati deſerviat. Et ſic anima devota ſtudet, quomodo placeat Deo, & ejus voluntatem adimpleat, & caveat, ne ipſum offendat.*

Quintò: *Materfamilias omnibus eam requirentibus ſe exhibet miſericordem & piam, ſatisfaciendo ſingulis pro poſſe. Sic anima devota ſuffragiis orationum, conſiliis, conſolationibus, & aliis, quibus poteſt, ædificare vel conſolari proximum parata eſt propter DEUM omnibus.*

Et multi ſunt in iſta revelatione oſtenſi, in quibus quilibet abundaret, vel in quibus deficeret: dictumque eſt ei, quòd anima, prout eſt in thalamo contemplationis, tunc habet & gerit ſe ùt ſponſa, & ibi nihil niſi amare novit, & vacare amori, illique vehementer intendere tanquam ſponſa.

Cap.

Cap. CXIX.

De retentionibus justorum, qui tenent iram Dei suis orationibus, & de protectione terræ Australis.

QUadam die, cùm oraret pro pace terræ, facta est vox solitò ad eam dicens: *Satis diu servavi terram in pace, irascens parti adversæ: nec hoc cognoscunt homines, sed sunt ingrati. Unde volo eis nunc irasci.* Tunc instabat illa precibus, ut Dominus terrâm protegeret ab hostibus. Tunc vox ad eam: *tu non es,* inquit, *fidelis.*

Quare non rogâsti pro illis in Ungaria, ubi multa mala malis acciderunt? Tunc ait ipsa: Domine, illa mala ignoravi. Addiditque orare Dominum, ut terram defenderet. Cui DOMINUS ait: *ego semper detentus fui & detineor justorum orationibus.*

Tunc ipsa cogitavit: O Domine, qui sunt, qui te tenent orationibus suis, & placant iram tuam? Cui Dominus ait: *patientes, qui patiendo mala patienter sustinent, & mundo corde devotè orantes, & devoti Sacerdotis hostiam Altaris dignè immolantes.* Et dixit Dominus, quòd multos ha-

haberet tales Sacerdotes, sed non tam multos plenam confidentiam habentes. Tunc ipsa cogitavit: O Domine, vis tamen nos protegere? Cui Dominus ait: *magis, quàm mihi confidatis.* Quod quidem factum est. Nam, cùm Ungari mox cum aliis Nationibus incumberent Austriæ, & timeretur terræ excidium, & homines jam essent in desperatione positi, nec esset consilium nec auxilium humanum, hostes recesserunt de terra, & legationem pacis mittunt, & ad beneplacitum Ducis Austriæ, & secundùm honorem suum, secum componunt. *

* *Chron. Mellic. T. I. script. Rer. Austr. ad A. 1291. Ungari cum suo rege Austriam hostiliter invadunt &c. Tandem Deo disponente treugas cum Duce Alberto ineunt, & cum pace ad propria revertuntur.*

Cap. CXX.

De livoritate Corporis Christi in cruce, & de tribulatis quid petere & quomodo debeant, & de Missa de Sancta Cruce.

QUadam die existens in ecclesia respexit in Crucifixum, in quem solis radii reverberantes, oculos ipsius offenderunt. Et ipsa claudens oculos audivit vocem intra se dicentem sibi. *Nil timeas, & iteratò respicias Crucifixum, nec expavescas.* Tunc aperiens oculos, respexit Crucifixum Sole in ipso resplendente, & apparuit imago Crucifixi tota livida, & quam-

quamvis præmonita, ne timeret, expavit tamen aliqualiter. Cui vox ait: *sic fuit Dominus dispositus, in cruce mortuus pelle livida.* Et adjecit Dominus: *pensa, quantam dilectionem habuerit ibi Joseph ad Dominum, quem sic dispositum deponens de cruce amplexatus est, & magno affectu & devotione involvit in sindone, & sepelivit.*

Et adjecit Dominus: *homines in tribulatione positi deberent rogare Dominum per illum affectum, & dilectionem, quam Joseph habuit ad Dominum, & passionem Domini devotè venerari: tunc Dominus eis propitiaretur, quia magna & multa gratia est in passione Domini. Dominus enim majorem dilectionem & dignationem, quam unquam exhibuit homini, hanc exhibuit in passione.*

Et adjecit Dominus: *dic Confessori tuo, quòd omni septimana legat unam Missam de Sancta Cruce pro tribulatione, quæ in præsenti est: & alias personas devotas roga, ut per passionem Domini ipsum exorent, ut avertat iram suam à populo.*

Tunc ipsa cogitavit in corde suo: eja Domine propitiare nobis. Et Dominus: *Salvabo*, inquit, *vos & propitius ero.*

Cap.

Cap. CXXI.

De indumentis beatæ Virginis & de Assumptione.

IN die Assumptionis Beatæ Mariæ, facta super eam manu DOMINI, apparuit ei Beata Virgo, induta tunica candidissima, ita ut nullus candor ei in hoc Mundo posset comparari, habuitque super tunicale rubrum etiam incomparabiliter. Induta quoque fuit chlamyde lucidissima: intrinsecus chlamydis facies pulcherrimæ tanquam per vitrum resplendebant. Habebat quoque coronam in capite duodecim stellarum. Et dictum est ei, quòd candida tunica significat castitatem virginalem, in qua assumta fuit benedicta Virgo. Rubrum supertunicale significat Martyrium Virginis, quod passa est in passione Filii sui benedicti. Chlamys perlucida, quâ circumamicta fuit, significat charitatem DEI & proximi. Quòd autem facies intrinsecus resplendebant, significat Sanctos in patria, qui ex amore Virginis & meritis habent, quòd ipsi in amore DEI claruerunt.

Interior superficies chlamydis significat charitatem & amorem, quâ fulsit in conspectu DEI. Exterior superficies chlamy-

mydis significat Virginis charitatem ad genus humanum, quâ ipsa semper nos protegit, & est quasi scutum contra iram DEI.

Et quoniam tunc, quando apparuit ei ista visio, irasci videbatur DOMINUS populo suo: (nam Rex Ungariæ cum Comanis & infidelibus aliis graviter incumbebat terræ Austriæ, & eam devastabat) dictum est ei, quòd Dominus vellet modicum irasci nobis, & postea consolari, quemadmodum si pater filium cum modica virgula percutiat, quem mox tenerè consolatur. Quod totum factum est. Nam subitò, quod nemo sperabat, facta est pax & amicitia inter Dominum Regem Ungariæ, & Ducem Austriæ.

Cap. CXXII.

De conquestionibus omnium elementorum de professoribus religionum.

QUadam vice, facta in spiritu vidit & audivit, & facta est vox ad eam dicens: *omnia elementa conqueruntur de professoribus Religionum. Ignis, hoc est, ignis divini amoris conqueritur, quòd quidam religiosi à se tripliciter repellunt ipsum ignem divini amoris.* Cumque hanc vocem audisset,

ſet, vidit, & apparuerunt ei tria ſignificativa illius triplicis repulſionis. Vidit enim picem bullientem, & aquaticarum ranarum fœtum viliſſimum, & genus quoddam vermium, quod ſcorpio vocatur, quæ apparuerunt in medio ignis, ita tamen, quòd quædam tenebræ eſſent inter ipſa & ignem. Hæc ſignificant occupationem exteriorem & ſecularia negotia, quibus ſe implicant aliquando aliqui religioſi: item ſpem ſuper depoſito, ad quod confugiunt, cùm volunt, inde ſumentes ſua ſolatia: item curam carnis in deſideriis gulæ.

Terra *conqueritur: quia*, ùt dictum eſt ei, *omnem honorem Dominus terræ exhibuit, ſcilicet, quòd corpus ſuum de terra ſumpſit, quòd ſacro ſanguine ſuo eam perfudit, quia quotidie Corpus ſuum conſecratur de terra, quia panis de terra naſcitur. Hæc omnia fecit Dominus propter terram illam, quæ animam portat, id eſt, corpus humanum. Natura humani corporis de terra ſumpta eſt ad Deo ſerviendum, & ad exercendum ſe corporaliter in DEI ſervitio: & quia hoc non faciunt quidam Religioſi, ideo de hoc terra conqueritur.*

Et vidit ibi iterum tria impedimenta, videlicet congeriem ſtercorum, picem, plumbum & ceram ſimul liquatam, & lumen in laterna nigra & tenebroſa. Hæc: ava-

avaritia, voluptas, & carnis commodum, quæ maculant animam: ùt pix inflammant animam: ùt plumbum liquatum, quod multum calet, flexibilem & mollem faciunt ad quæque levia, sicut cera flexibilis est: Laterna tenebrosa defectus supererogationis & difficultas debiti, eò quod difficiles & segnes sunt ad ea, ad quæ tenentur, & oportet eos stimulari ùt boves, postea nihil erogant peculiaris exercitii vel devotionis.

Aër conqueritur, id est, verba, quæ proferunt. Et vidit iterum tria, scilicet intemperiem aëris, scilicet ventum & nubem turbidam, coruscantem & fistulantem aliquid suave in fistula. Hæc sunt verba: item, multiloquia otiosa: item, verba joculatoria & cachinnos excitantia.

Aqua conqueritur, id est, sanctificatio per Spiritum Sanctum facta. Vidit ibi tria, videlicet aquam turbulentam, Chrystallos candidas habentes nigras maculas, & mel cum aculeis apum sursum versis. Hæc significant violationem innocentiæ baptismalis, incuriam * expiationis per lachrymas, & negligentiam dulcedinis devotionis propter sollicitudines.

* *Cod. injuriam.*

De qualibet materia, dictorum vitiorum significativa, vox facta est, quæ singula, prout dicta sunt, exponebat. Hæc

autem visio solas personas religiosas includebat, sive in Religione, sive in seculo, servitio divino mancipatas. In quolibet quoque elemento vidit multos diversorum Ordinum & Statuum, quos cognovit.

Cap. CXXIII.

De statu diversorum hominum, scilicet secularium, Religiosorum, Sacerdotum, laicorum bonorum & malorum.

FEria secunda post octavam Nativitatis Beatæ Virginis, cùm esset in ecclesia, circa principium Missæ facta est in spiritu, & intus accensa divino igne, vidit in immenso lumine multitudinem magnam imaginum repræsentantium statum hominum & vitam tam secularium quàm Religiosorum, Sacerdotum, Clericorum, Laicorum, bonorum & malorum, & in imagine cujuslibet exprimebantur multa bona & mala uniuscujusque: & hoc, ùt retulit, fuit ita familiare videre & intelligere, quasi hæc assiduè vidisset.

Quidam autem apparuerunt terribili aspectu, &, ùt dixit, Sacerdotes mali cæteris peccatoribus horribiliores apparuerunt, ita ut etiam ipsa terreretur: & nisi Do-

Dominus eam parùm antea consolatus fuisset, & mox etiam postea consolabatur blanda revelatione, ipsa nimis fuisset perterrita. Erant autem mali Sacerdotes toto corpore nudi & nigerrimi. Diadema rotundum habebant circa capita, quod significat Sacerdotum dignitatem vel auctoritatem. Nam omnes Sacerdotes diademata habebant rotunda, ùt Sancti depinguntur, sed distincta sunt merita eorum. Diadema malorum Sacerdotum fuit nigrum in colore de materia picis, & capillis eorum intextum, facies eorum nigræ, oculi eorum eruti, dentes horribiles. Circa pectus eorum erant delibuti stercore humano, quod significat fœditatem concupiscentiæ cordis eorum. Manus eorum infectæ sanguine, & distillabant* sanguinem. Et hoc significat, quòd indignè tractant Corpus Domini, sicut ei post visionem hanc vocerenus expositum est, & etiam injurias & violentias, quas inferunt subditis in excommunicatione & Sacramentorum subtractione.

* *Cod. diffiliabant.*

Sacerdotes verò boni, induti erant vestibus Sacris Sacerdotalibus albis, quæ significant munditiam corporis & animæ. Stola erat de auro puro, quòd significat charitatem eorum. Manipulus in manu sinistra erat intextus variis: hoc significat varietatem virtutum. Facies erat perfu-

ſa colore rubeo & niveo, eratque perlucida. Diadema capitis rotundum erat quædam lux, quaſi lux Solis rutila, quod, cùm facies eſſet lucida & diadema ſimiliter lucidum, tamen lux hæc & illa erant in claritate diſcretæ ab invicem. Et nullus habebat diadema, niſi ſoli Sacerdotes, quia ſignificat Sacerdotalem dignitatem, ùt dictum eſt. In pedibus habebant calceamenta de floribus, quòd ſignificat lenitatem ſpiritus, quemadmodum flores lenes ſunt in tactu.

Similiter boni Diaconi & Subdiaconi in ornatu ſuo apparuerunt. Et ſimiliter conjugati boni & mali diſtincti erant. Mali enim fœdi & turpes apparebant: Boni verò decenter ornati, & alii magìs, alii minùs ſecundùm merita eorum. Et eorum merita vel demerita in imaginibus quorumlibet expreſſè cognoſcebantur.

Nec aliquis adeò perfectus, vel decenter ornatus, in cujus vel facie vel veſtitu non appareret aliquid indecentiæ.

Virgines erant omnes indutæ albis veſtibus, quod munditiam ſignificat & coronæ in capitibus earum ſine circulo, quod ſignificat imperfectionem ſanctitatis vitæ præſentis.

Cap.

Cap. CXXIV.

De peculiari devotione hujus puellæ, quæ consueta erat dicere omni die sex Pater noster, & de pœnitentia, fide, amore, desiderio Dei, auxilio Beatæ Mariæ, & passione Christi.

Consueta erat hæc virgo peculiari devotione dicere omni die sex *Pater noster*, & totidem *Ave Maria.* Quadam autem vice, cùm decumberet, apparuerunt sex milites stantes coram ea.

Primus miles erat indutus vestibus candidis, & vocabatur Pœnitentia. Hic habuit clypeum rubeum, quod significat contritionem & afflictionem cordis super peccatis. Fuit etiam stellatus, quod est multitudo innumerabilium peccatorum remissorum. Gladium manu tenuit, qui fuit cælestis coloris.

Secundus miles fuit, & vocabatur Fides, indutus vestibus deauratis, habens clypeum aurei coloris, quod significat pretiositatem fidei. In clypeo erat aquila viva, quæ significat Sacramentum Corporis Christi. Gladium de chalybe manu tenuit lucidiorem Sole, quod significat fortitudinem fidei, quâ omnia tentamenta vincuntur.

Tertius miles est & vocabatur Amor, eratque amictus Sole, gladium aureum habens, quod significat honestatem spiritualem & religiositatem in verbis & moribus. Clypeus ejus erat lucis cœlestis claritatis, eratque in clypeo armatura, quæ vocabatur Vita perpetua, & erat formam habens modò pueri, modò juvenis, modò crucifixi, modò Agni. Et ait miles: *Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata Mundi.*

Quartus miles vocabatur Desiderium Dei, indutus veste varii coloris, gladium manu tenens, & clypeum lucentem ad modum faculæ lympidæ, in quo erat imago sive facies cum diademate, quod significat, quia anima devota semper desiderat conspectum & faciem Dei. Et hic minor erat in statura reliquis.

Quintus miles vocabatur Auxilium Beatæ Mariæ. Hic habuit clypeum, in quo erat Mater cum Puero. Et dixit miles: *quocunque clypeum hunc levavero, ibi de adversariis triumpho.*

Sextus miles vocabatur Passio Christi sive Mors Christi, cujus clypeus fuit perfusus sanguine, & lucidissimus fuit, in quo fuit Crucifixus. Et ait miles, *virtute hujus sanguinis Christianitas perdurat, nec aliter perdurare posset.* Gladius ejus crux fuit,

ve-

vestis ejus virgulata fuit, quæ significat vestigia virgarum Christi flagellati.

Cap. CXXV.

De quodam dæmone eam perturbare volente.

Cùm autem isti sex milites starent coram ipsa: (quos ego puto sex Angelos fuisse:) & loquerentur virgini, ecce ex adverso in angulo cubiculi Dæmon apparuit, qui Virginem, ne intenderet illis sex militibus, impedire conabatur, varia verba inferens sic: O quantum insultum mures isti faciunt & strepitum! Item ait: ecce ostium non obfirmatum cum sera, & jam fures intrabunt. Et similibus aliis verbis ipsam perturbare volebat, sed non potuit.

Ipsa enim mira consolatione spiritus in hac visione repleta erat.

Cap. CXXVI.

De quodam juvene, qui singulos Fratres in introitu ostii hilariter suscipiens introduxit.

UNa vice in spiritu vidit Fratres horâ prandii congregatos, sicut mos erat,

ante Refectorium: ipsiusque ad campanellam refectorii intrantibus quidam juvenis decorus specie stabat in introitu ostii, qui singulos hilariter suscipiens introduxit. Cumque se in mensa Fratres locâssent, ille juvenis transiens ante eos singulis signo crucis benedixit. Tandem veniens ad unum Lectorem dixit: *Domicelle, quàm raró vobis à me datur benedictio!* In hoc eum reprehendens, quòd raró comederet in refectorio.

Cap. CXXVII.

De extinctione ignis in domo, & de stella apparente in firmamento.

QUadam vice in nocte Adventus Domini, ad quam Dominicam, scilicet primam, ipsa specialem habebat devotionem, & tunc consuevit communicare Corpus DOMINI: * hora igitur matutinali ipsa volebat legere Matutinum. Ignis autem erat extinctus in domo, ut non posset habere lumen, unde ipsa multùm desolata fuit. Timuit enim, quòd non posset communicare, eò quòd officium nocturnum non posset legere. Et sic anxia aperuit fenestram stubæ respicientem versùs terram sive stratam, si forsan aliquis vi-

* *videtur aliquid deesse.*

vigilum civitatis ibi iret, qui ei ignem ab aliqua vicina domo postularet. Et apertâ fenestrâ apparuit stella in firmamento versùs septentrionem juxta ursam majorem, de qua porrigebatur quasi una candela ardens, habens longitudinem vix unius digiti, quæ per fenestram stubæ dabat ei lumen sufficientissimum. Aperto igitur libro, qui erat de valde minuta litera, & hoc magis declarat miraculum, quòd lux illa nusquam alibi lucebat, nisi super literam & scripturam libri. Unde ipsa admirans, & volens aliquando probare, posuit manum super librum in illam lucem, & tunc manum non vidit, & tenebræ erant. Similiter in margine libri tenebræ erant: & solùm, ubi scriptura erat, ibi lux erat. Cumque perfecisset Matutinum, mox lux illa & lumen disparuit.

Cap. CXXVIII.

De resurrectione Domini, & de sepulchro clauso.

QUodam tempore in nocte Paschæ hora matutinali manens in ecclesia, post Matutinum cœpit cogitare, quia non esset incredibile, quòd Homo-Deus natus exisset de Virgine: hoc autem valde esset

admirandum, quomodo homo magnus exiſſet & ſurrexiſſet de ſepulchro clauſo & lapide advoluto.

Erat Chorus eccleſiæ, in qua ipſa erat, clauſus, & intrinſecus oſtium repagulo obſeratum, & cuneus ligneus magnus inter oſtium & repagulum ſtrictè incuſſus, ne poſſet repagulum amoveri. Murus medius, qui dividebat chorum & Eccleſiam, elevatus fuit & contiguus teſtudini chori, ut nusquam tranſitus vel modicus pateret. Cumque ſic cogitâſſet, ùt dictum eſt, ecce cuneus ille cum ſtrepitu avulſus eſt de intermedio oſtii & repaguli, & divina quadam virtute tranſiens de clauſo oſtio & choro ante faciem dictæ Virginis cecidit caſu magno ſuper lapides pavimenti, non tamen tangens eam, incuſſit ei repentinum & magnum terrorem. Ipſa autem ad cor reverſa, oravit Dominum dicens: tu Domine ſatis hodie me terruiſti: conſolare me etiam nunc. Et mox accidit ei modicus ſomnus, & inclinata eſt ſuper lapides pavimenti.

Apparuit quoque tunc ei Dominus, portans in manu ſcutellam, in qua fuit pars piſcis aſſi cum favo mellis. Et dixit Dominus ei: *comede*. Cui illa: eja, inquit, Domine, ſi tu comederes, ego eò libentiùs comederem. Tunc Dominus frangens quaſi modicum morſellum de

piſce,

pisce, & intingens posuit in os, & gustavit: reliquam particulam porrexit in os virginis. Et ait Dominus: *Nunquid tibi videatur aliquid fore Deo difficile? Quia quidquid vult Deus, hoc est facillimum & possibile.* Unde ostendit ei Dominus, quod, quemadmodum sine impedimento illud corpus solidum transivit aliud corpus solidum, sic Corpus DOMINI resuscitatum transivit & exivit de sepulchro clauso. Dixit mihi hæc virgo, quòd à die illo Paschæ usque ad diem Ascensionis omnia, quæ gustavit & comedit, mellicum saporem habuerunt.

Cap. CXXIX.

De multitudine hominum & Angelorum.

ANno DOMINI MCCLXXXI. in festo Sancti Michaëlis facta in spiritu vidit infinitam hominum multitudinem, & infinitam Angelorum multitudinem de cœlo descendentem, ita quòd catervatim, per novas stratas satis amplas descendebant ad homines, & cooperabantur hominibus ad profectum novem donorum sive virtutum. Primum donum fuit cognitio sui. Secundum cognitio Dei. Tertium fuit augmentum gratiæ vel eleva-

vatio. Quartum fuit laus & honor Domini. Quintum fuit communis utilitas omnium fidelium, tam vivorum quàm mortuorum. Sextum innovatio gratiæ. Septimum fuit contemptus terrenorum, & elevatio seu expeditio desiderii ad superna. Octavum contuitus vel exhibitio divinæ præsentiæ. Nonum fuit elevata consummatio, vel consummata elevatio in Amore Dei.

Prima turba Angelorum parabant viam Domino ad hominem: & in hujus signum habebant instrumenta in manibus apta ad parandam viam, utpote palas & alia: & erant clara & lucida illa instrumenta de subtili materia.

Angeli secundæ viæ habebant luminaria, tota lucida & accensa.

Angeli tertii habebant, quasi saccos in manibus repletos, & hujusmodi sarcinulas portabant à Domino ad homines, & reportabant ab hominibus ad Dominum: sed ea, quæ portabant à Domino, videbantur longe cariora & pretiosiora.

Quarti habebant in manibus tubas, & & canebant in eis. Erant autem tubæ sic dispositæ: longitudo tubæ candidior erat nive: nodus erat in modum auri: fistula tubæ, quæ ponebatur, erat rubea.

Quinti portabant in nolis quasi pretiosas margaritas, & distribuebant inter ho-

homines: & animabus in purgatorio de eisdem muneribus deferebant.

Sexti totaliter ardebant: quia per ignem fit innovatio, & ipsi cooperabantur ad innovationem gratiæ.

Septimi projiciebant quasi aliqua despicabilia de manibus cum conatu sursum trahendi.

Octavi habebant facies divinas, & quilibet eorum quasi faciem divinam exprimebat.

Noni erant dispositi in modum coronæ, ita quod multitudo magna in qualibet corona erat: & una corona super aliam erat ordinata usque ad cœlum ad conspectum Dei. Nec isti ad homines perveniebant, sed quasi homines expectabant in futura vita coronandos. Homines quoque diversimodè proficiebant ex istis visitationibus angelicis: Nam alii quibusdam supradictis donis proficiebant, & alii in pluribus, & alii plùs, & alii minus.

Cap. CXXX.

De quodam castro & ejus expositione.

POst aliquos dies facta iterum in spiritu vidit castrum rotundum & altum, ut ejus altitudinem visu non posset attinge-

gere. Et apparuit ſtella deſuper lucidiſſima aureæ lucis, quæ Mundum illuminabat ſicut Sol, & de ſtella radius quidam ſignanter fulgidus egrediebatur. Caſtrum iſtud erat in ſitu pulcherrimum. Nam ipſum erat in monte eminenti, & ante caſtrum in plano pratum virens & ſpatioſum, per quod decurrebat fluvius præceps, ſatis amplus, non profundus, ita ut vadari poſſet, eratque perſpicuus & clarus valde. Juxta quem fluvium homines infinitæ multitudinis pauſabant, quemadmodum homines in itinere poſiti & viatores ultra intendentes procedere ſolent. Et iſti omnes videbantur ad ipſum caſtrum pertinere. Ipſa quoque omnes cognovit, quos etiam nunquam viderat. Hi autem erant omnes Religioſi in Ordinibus, vel religiosè in ſeculo viventes.

Murus caſtri erat de lapidibus quadris & ſectis, qui erant in colore valde albi, admixta aliqualiter rubedine. In aliqua parte murus apparuit aliquantum ſubobſcurus, in aliqua parte valde clarus & lucidus, & ſic per diverſas partes erat murus diſtinctus.

Aliquando etiam nebula ſatis denſa circumdabat murum: aliquando luce ſtellæ ſuperante nebulam ſtella illam fugabat, & tunc imemnſa erat caſtri claritas.

In

In castro erant duæ portæ ferreæ, ambæ clausæ, & una juxta aliam sita. Hæc omnia ei exposita sunt à voce divina.

Castrum est quilibet justus, ad quem confugitur tanquam ad castrum in pressuris. Et posuit exemplum de Ducissa & populo Wienensi, qui ad suffragia justorum confugerunt in pressura Ungarorum & infidelium.

De stella quoque vox divina ait: *stella ista est via cognitionis divinæ bonitatis.* Hæc audiens multùm ipsa gavisa est, quia multa fuerant ei in visione paulò ante ostensa, quæ non plenè capere poterat. Unde sperabat sibi ea in hac luce stellæ reserari. Et ecce mox apparuit ei cumulus magnus gemmarum fulgidarum, in quas lux stellæ radians fulgorem duplicabat. Et ait vox ad eam: *respice gemmas has. Et earum claritas apparuit aspectui tuo, nomina verò & earum virtutes tibi ignotæ sunt, sicut omnia, quæ vidisti, edicere non vales ad notitiam alicujus.*

De radio quoque exeunte de stella dixit: *hic est lux & incendium divini amoris, in quo anima rapitur extra se, & elevatur supra se in primæ creationis originem. Et hoc fit propter tria.*

Primò *quia Deus delectatur in hoc, quòd creatura suæ imaginis in tam fragili corpore &*

& carcere manens sit idonea ad tam excellentem gratiam.

Secundò, *quia Deus vult mirabilia sua & occulta sapientia sua manifestare de his,* * Cod. factura *quæ sunt facta & adhuc * facienda sunt.*

Tertiò, *quia Deus vult creaturam suam, scilicet rationalem animam, meliorari, ut-* * Ib. utpote. *que, * qui tepidi sunt, divino amore incalescant.*

Primi sunt quasi filii dilecti à patre, & Dominus est eis familiaris: & isti nunquam possunt cadere per peccatum mortale. Sic sunt stabiliti in gratia: &, quidquid postulant, obtinent.

Secundi sunt homines pusillanimes in fiducia & confidentia, & in turbatione positi, quos Dominus sic consolatur & solidat. Et isti sunt momentanei, sicut Prælati Fratrum minorum, qui modò exaltantur, & modò destituuntur.

Tertii sunt tepidi, quos Dominus sic visitando emendat: Qui post tantam receptam gratiam ceciderint, vix vel nunquam resurgunt.

In castro jam dicto erant duæ portæ ferreæ, ambæ clausæ, una juxta aliam sita. Una porta ferrea & clausa significat custodiam firmam sensuum exteriorum & interiorum in justis, ne pateat ad animam aditus alicujus peccati mortalis. Alia porta significat Custodiam proximi, quam muniunt bonis exemplis & do-

ctri-

ſtrina. Quòd autem murus castri alicubi erat subobſcurus, & alicubi lucidus, ſignificat, quòd, quantumcunque quis perfectus ſit & clarus virtutibus, tamen habet obſcuritatem imperfectionis admixtam in hac vita.

Quòd autem nebula denſa aliquando caſtrum circumdabat, & aliquando lux ſtellæ fugabat illam nebulam, ſignificat, quòd turbationes & tentationes juſtos ſæpe circumdant, quas tamen ſuperant & vincunt per adjutricem gratiam.

Cap. CXXXI.

De elevatione Corporis Chriſti à pluribus ſimul.

CUmque eſſet in hac viſione, venit cogitatio in cor ejus de Corpore DOMINI, quod quandoque ſimul à pluribus elevatur. Ad quam cogitationem dixit ei vox divina: *Sicut Filius Dei in incarnatione de corde Patris venit in uterum Virginis carnem inducendo: ſic in hora immolationis venit in manus cujuslibet Sacerdotis.*

Item cogitavit, ſi æquè potentialiter eſſet in cœlo & in Sacramento? Reſpondit vox divina: *Potentia ſua magis relucet in cælo: ſed in Sacramento relucet ejus manſuetudo. Nam cum tanta manſuetudine eſt in Altaris Sacramento, quanta fuit coram bo-*

ve & asino in præsepio. Et adjecit Dominus dicens: *his, qui eum non ùt Deum venerantur nec honorant, ibi adest cum duritia.* Hæc sententia maximè involvebat malos Sacerdotes, qui ùt plurimùm dura morte & misero fine decedunt.

Et quia vox divina ei dixerat suprà, quòd anima rapitur aliquando extra se, hoc dictum declarabat ei, dicens: *Non omnes rapiuntur perfecto raptu, quemadmodum B. Paulus & B. Johannes rapiuntur:* tamen alii in quendam fluxum lucis diem, ubi eis arcana sæpe, prout vult Dominus, panduntur.

Tunc ipsa cogitavit de raptu suo & de revelatione primæ visionis hujus opusculi. Ad quam cogitationem respondit vox divina, dicens: *si per foramen tantillum, quantum est foramen acûs, visio Dei ad mentis aciem vel contuitum animæ perveniret, anima videret & cognosceret omnia, quæ sunt in Deo.*

Cap. CXXXII.

De Monachis nudis.

QUodam mane post Matutinum facta est super eam manus DOMINI: & vidit in visione homines nudos omnino, & erant Religiosi. Et datum est ei intelligere,

ligere, quòd essent illi Religiosi, qui, cùm deberent ædificare suo exemplo proximum, eum suis levibus moribus deædificant. Et, ùt ei datum est intelligere, isti erant, non criminosi, sed sic leves in jocis & trumphis, * quæ, licèt aliquando fiant absque mortali peccato, tamen in Religiosis sunt magis reprehensibilia, & expoliant eos gratia & merito, quæ talibus subtrahuntur. Ipsi enim eo ipso fiunt magis inhabiles ad gratiam.

* *i. e. nugis.*

Cap. CXXXIII.

De multitudine Religiosorum, aliis indignantium ob eorum defectus.

HÆc visio facta fuit domi in oratorio suo. Deinde veniens ad ecclesiam mane sub Missa facta in extasi vidit multitudinem Religiosorum in habitu valde pulchro & vario, qui circumdati erant lumine immenso, erantque lucidi, sed oculos habebant velatos & circumligatos bindis. * Ornatus quoque vestium, qui erat permaximus, paulatim decidebat.

* *id est: fasci s*

Et datum est ei intelligere, quòd erant Religiosi, qui bonæ vitæ existentes, aliorum defectibus, vel aliis ob eorum defectus vel peccata plus debito indignantur.

Et, quia in ſuis benè factis plus debito ſe oſtentant, & innoteſcere hominibus curant, hinc in luce gratiæ & cognitionis divinæ impediuntur.

Cap. CXXXIV.

De meritis Eccleſiæ in communi.

DEinde eadem die contigit eam audire Miſſam unam ferè circa horam tertiam. Sub Miſſa quoque facta in ſpiritu vidit hos illos, id eſt, nudos, & velatos oculis, à ſiniſtris Sacerdotis, qui legebat Miſſam: à dextris verò ejus vidit alios multos candidatos & lucidos. Et hi omnes quaſi in commune operantes unum acervum faciebant, ita ut diverſi diverſa projicerent ad illum acervum, qui erat magnus & altus & præclarus: & ipſe Sacerdos celebrans Miſſam etiam coacervabat ad illum acervum.

Quidam apportabant lapidem Cryſtallinum, in quo radiabat Sol immenſo lumine. Alii apportabant manticam plenam mercibus, alii afferebant aurum puriſſimum, alii varios lapides pretioſos, alii pannos varios & pretioſos, alii lucem pleniſſimam, omnibus aliis lucem præſtantem: alii manipulum in humeris afferebant, qui cæteros omnes juvabant mani-

nibus ſuis. Alii apparebant pleni oculis. In cacumine verò acervi ſtabat una perſona præſtantior & pulchrior omnibus in ſe exiſtens, quæ in omnibus & ſingulis cæteris erat, & relucebat, & illorum pulchritudinem venuſtabat.

Hæc viſio data eſt ei intelligere. Acervus ſunt merita Eccleſiæ in communi. In Cryſtallo ſolari ſignificatur humilitas, in mantica plena mercibus miſericordia, in auro puriſſimo patientia contemptûs, in lapidibus pretioſis & variis patientia incommodorum & miſeriarum, in pannis variis & pretioſis patientia injuriarum ſive violentiarum. Per lucem pleniſſimam, quæ aliis lucem præſtabat, munditia ſignificatur. Per manipulum in humero portatum ſignificatur voluntaria paupertas. Per illos, qui apparebant pleni oculis, ſignificatur læta obedientia, quia Dominus ſuper illos. Per illam ſingularem perſonam, pulchriorem cæteris, ſtantem in cacumine acervi, ſignificatur amor Dei, ſive charitas, quæ eſt in omnibus aliis virtutibus ipſas informans.

Cap. CXXXV.

De gratia veniente in animam.

UNa vice, cùm in Ecclesia oraret, sensit innovationem spritus & cordis immutationem, ita ut in incendiô devotionis sanguis præcordiorum ad cor se reciperet, & ea, quæ in corde habebat, tacere non poterat, quin ore personaret. Ipsa verò super hoc mirabatur. Deinde, sicut solita erat, visitavit limina diversarum ecclesiarum quotidie. Et cùm esset in ecclesia Sancti Jacobi, * audivit vocem intra se dicentem : *Gratia veniens in animam ipsam inflammat : anima inflammata influit in sanguinem, & eum inflammat, qui ad cor confluit,* * *in quo est vita : & sic sanguis quinque facit in corpore, scilicet confortat, calefacit, lætificat, gustum ad sapiendum informat, suaviter dormire facit. Sic in anima spiritualiter gratia ista quinque facit & operatur.*

* *est Parthenon Ord. Can. Reg. S. Aug.*

* *Cod. confluens.*

Nam primò *animam confortat, ut ardua & magna possit in Dei servitio, etiam interdum cum imbecillo corpore.*

Secundò *animam calefacit & inflammat igne devotionis & amoris divini : qui aliquando calor spiritualis in anima, mediante anima in corpus agit & intendit.*

Ter-

Tertiò *animam lætificat & rapit in gaudium ſpiritus, ut nec triſtia nec adverſa, nec timorem ſentiat nec dolorem: & ſic ſuſpenſa & fixa manet in gaudio, quamd u placet datori gratiæ, ut nullo alio pro illo tempore anima afficiatur.*

Quartò *animam guſtare facit, quàm dulcis & ſuavis eſt Dominus, ut etiam aliquando illa dulcedo & ſuavitas in corporeos ſenſus redundet.*

Quintò *dormire facit animam, cùm per occultam operationem divinæ gratiæ anima rapitur in extaſim, foris dormiens & inſenſibilis, & intus vigilando quieſcens. Unde illud: ego dormio, & cor meum vigilat.*

Cap. CXXXVI.

De quodam lumine ſphærico, in quo vidit Paradiſum cum terra & cum purgatorio.

IN die Dominicæ Reſurrectionis, cùm comunicâſſet, facta eſt ſuper eam manus Domini: & tota illa die uſque ad medium noctis ſequentis fuit in ſpiritu, & rapta eſt anima ejus in quoddam lumen ſphæricum, quod putabat eſſe Solem iſtum materialem, ſed non erat. Nam, ſicut poſtmodum edocta eſt, non fuit Sol, ſed

quoddam lumen divinum, ſicut dictum eſt ei. Fuit iſtud immenſum lumen inſtar Solis clariſſimum, movebaturque ita lumen iſtud verſùs orientem, & ipſa fixa in lumine & cum lumine ducebatur. Et venit in locum amœnum valde, arboribus conſitum, plenis fructibus variis & delectabilibus. Qui locus fuit ille in quo Dominus locaverat primum hominem, ſicut ipſa poſtea edocta eſt.

Deinde ducta in lumine illo ſubtus terram vidit omnia Mundi climata, & centrum terræ & circumferentiam apertiſſimè: & terra erat rotunda in modum globi, & reſpectu circumferentiæ videbatur terra vix inſtar pomi in quantitate: & videbatur obſcura, nec intuitu delectabilis, ſed potiùs deſpicabilis in comparatione claritatis circumferentiarum.

Ducta eſt itaque ſub terra ad amœna ſatis, loca ubi apparuit multitudo magna hominum, qui erant luminoſi faciebus decoris, & quaſi muti nihil loquebantur. Iſti homines erant defuncti, ſicut ipſa poſtea edocta eſt, qui deceſſerant ſine gravibus peccatis: nec habebant aliam pœnam, quàm carentiam viſionis DEI, quæ tamen pœna, ſicut ipſa dixit, fuit eis maxima.

Cap.

Cap. CXXXVII.

De Trinitate, de vulneribus Christi de Angelis & omni creatura, & mansionibus sanctorum in patria.

DEinde in lumine illo ducta, vidit civitatem cælestem. Lumen quoque illud ei luminabat,* & omnia, quæ vidit, in lumine illo vidit. *Psalmus: in lumine tuo videbimus lumen.* Vidit itaque Dominum, & cognovit Beatissimam Trinitatem manifestiùs, quàm in aliqua visione. De qua mihi aliqua narrabat, quæ intellectu capere non potui: & ait, quòd plura haberet in intellectu & memoria, quæ non posset proferre in medium.

* *Cod. illuminabat.*

Dixit, quòd vulnera Salvatoris & ejus humanitas indicibile gaudium præstant omnibus in patria, tam Angelis quam hominibus: & quòd Salvator tam amicabilem familiaritatem habet ad Sanctos, quòd explicare non posset.

Dixit quoque, quòd Sancti Angeli & animæ justorum tanto fervore Deum laudant, & laudare gestiunt, quòd satiari nequeunt: & quòd omnis creatura, etiam irrationalis, ùt elementum & elementata, tantâ harmoniâ sui officii laudant Deum,

quòd etiam rationalis creatura magis afficiatur ad eum laudandum.

Vidit, & cognovit mansiones in patria singulorum, & omnium adhuc in carne mortali existentium: & in lumine jam dicto manens omnes homines cognovit.

Cap. CXXXVIII.

De patientia & duobus generibus devotorum.

DIxit quoque, quod pati in hoc mundo propter Deum, magni meriti est apud Deum.

Dixit quoque, quòd devotio trahit hominem ad Deum.

Vidit quoque duo genera hominum devotorum. Quidam devotioni sunt intenti, & frequentiùs otiosi, nec magna patiuntur iucommoda.

Alii sunt devotioni intenti, tamen sub laboribus piis & exercitiis in Domino factis, & passionibus propter Dominum toleratis. Primi sunt quasi jacentes, cum quibus nunc est Dominus, nunc quasi ab eis elongatur: quia continuè non possunt per devotionem conjuncti esse Domino. Alii vero continuè adhærent Domino, innixi eidem.

Pri-

Primi aliquando cadunt à Domino propter nimiam desidiam refrigerati: alii sunt magni exempli apud homines, & magni meriti apud Deum.

Cap. CXXXIX.

De quibusdam viduis.

REversa autem anima ad corpus reperit corpus totaliter defatigatum, ita ut per plures dies sentiret.

Simile mihi narravit quædam devota persona, quæ in visione rapta fuit ad mansionem amœnam: ubi erat multitudo fæminarum in vestibus albis. Et una inter cæteras dixit, quòd omnes fuissent olim viduæ. Ista verò persona etiam fuit vidua. Ipsa quoque postulante, ut ei liceret ibi remanere cum ipsis, dictum est ei: *Non adhuc hìc nobiscum esse potes, sed oportet te redire ad corpus, & in eo multa pati: venies autem postea ad nos.* Illa continuò reversa est ad corpus, & invenit corpus adeò infirmatum, quòd per plures septimanas gravissimè languebat. Simile legitur in Daniele 10. *Vidi visionem grandem hanc, & non remansit in me fortitudo, sed species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium.*

Cap.

Cap. CXL.

De vulnere laterali Christi & humilitate.

FEria quinta post *Quasi modò geniti*, cùm interesset divinis, apparuit sibi in visione unus pulcherrimus homo, juvenis benè adultus, totus nudus in immenso lumine, nec tamen quidquam horroris habuit, nec displicentiæ videndo omnium membrorum illius dispositionem & nuditatem, sed magìs consolatione spiritus repleta est, sicut in aliis apparitionibus. Erat ille totus quidem desiderabilis in aspectu, habebat quoque manus cancellatas super pectus suum: & sub brachio dextro apparuit vulnus magnum & latum & apertum, in quo sanguis recens bulliebat, quemadmodum olla fervens cùm ad ignem bullit, nec tamen superebullit. Visio autem hujus plagæ & cruoris non ei præstabat pavorem, nec horrorem, ùt fieri solet ad aspectum hominum mortalium cruentatorum, sed magìs aspectus hujus vulneris ei gaudium spiritus ingerebat.

Dixit quoque Dominus: *Ego paratus sum propinare omnibus me cum humilitate desiderantibus & sustinentibus.* Cùm autem hæc agerentur, quidam Sacerdos Missam ce-

celebrans volebat Corpus DOMINI elevare. Tunc quædam persona devota, volens eam invitare ad videndum Corpus DOMINI, instigavit eam importunè, & sic evanuit Dominus ab aspectibus ejus. Dixit autem hæc puella mihi, quòd non esset necessè eam instigare ibi, cùm esset in aliqua visione infra Missam: quia Dominus dabat ei semper redire ad se, in tantum ut videret Corpus DOMINI.

Sequenti die, feria sexta, cùm quidam Religiosus prædicaret quibusdam Monialibus in Monasterio quodam, affuit etiam hæc puella. Cùmque intenderet in faciem prædicantis propter desiderium audiendi verbum DEI, facta super eam ibi manu DOMINI, apparuit ei iterum Dominus, sicut priori die, nudus & cancellatis manibus super pectus, bulliente sanguine in vulnere laterali: & se modò vertebat versùs puellam, modò versùs prædicantem Fratrem, & has vices pluries alternando, nihil tamen loquebatur.

Cap. CXLI.

De devota prædicatione, & de vulnere laterali.

POst hoc modicùm, in die videlicet Sancti Georgii, dum in eadem ecclesia ite-

iterum audiret verbum DEI, facta est super eam manus DOMINI. Et apparuit ei Christus totus nudus, & cancellatis manibus super pectus, & vulnus sub brachio dextro apertum & latum, bulliens sanguine, sicut in prioribus visionibus, & omnia verba prædicatoris Dominus ipse loquebatur. Et modicùm perduravit hæc visio, & reversa est ad se adhuc Fratre prædicante. Cumque Frater illud verbum Cant. *introduxit me rex in cellaria sua*, prosequeretur, iterum mox fuit in spiritu, & apparuit Dominus ei, sicut priùs, nudus & vulneratus. Et ait Dominus ad eam: *Quando prædicator verbum Dei ex devotione annunciat & ad laudem Dei, tunc Deus est in ore suo, & loquitur per os ejus: quoniam taliter prædicans assumitur in DEUM.* Inde fuit, quòd Dominus loquebatur verba prædicatoris.

Et, quamvis esset in spiritu, tamen omnia verba prædicatoris ipsa audivit, & in hac visione multa consolatione repleta est.



Cap.

Cap. CXLII. & CXLIII.

De quadam Benigna, in consolatione mundana existente, & de astutia diaboli.

HAbuit hæc virgo sodalem unam virginem etiam magnæ sanctitatis, quæ diffamata est apud Dominam Ducissam * de sanctitate sua, quam eadem Domina in domum suam assumpsit, & tenerrimè procuravit. Fuerat enim longo tempore infirma. Dictum quoque est huic virgini, quomodo Ducissa ejus sodali applauderet, & tota familia ejus captaret benevolentiam, & magnificè procuraretur.

* *F. Elisabetha.*

Item hæc puella habens hunc honorem suspectum & favorem, cùm esset solitaria, cogitavit in corde suo: O Deus, quomodo est sodali? Quæ mox facta in spiritu audivit vocem intra se dicentem sibi: *Sicut Rex, qui triumphato hoste & interfecto Rege vexillum Sanctæ Crucis duxit cum gloria versùs Jerusalem, & cum venisset ad civitatem, prohibitus est intrare muro clauso & porta divino nutu: Sic porta & aditus gratiæ, quâ Dominus eam solitus est visitare, claudetur ante eam, si diutius permanserit in illa consolatione & gloria. Dominus enim in interiore homine ejus tam familiarem se ei exhi-*

hibuit, & tantam teneritudinem consolationis & gratiæ ei infudit in omni tribulatione infirmitatis suæ & penuriæ, & quia crucem tam diu & tam constanter portavit. Nunc quia se manibus talium commisit, ad quos non spectat scire arcana divinæ consolationis, ideo portæ gratiæ ante eam claudentur.

* *Intellige: grave, ex capite seq.*

Tunc expavens cogitavit: O Domine, cadetne ergo in peccatum? * Cui ait Dominus: *Non, sed gratia solita ei subtrahetur.* Et adjecit Dominus: *Diabolus, quia non potuit impedire gratiam in ipsa in penuria & infirmitate, invidens ei de tanta gratia procuravit, quoad potuit, ut ad tantam consolationem & honorem temporaliter perveniret, ut, quòd non potuit in adversis, faceret in prosperis.*

Cap. CXLIV.

De humilitate & gratia & desiderio.

SEquenti die, cùm communicâsset, cogitans de sodali sua, quòd sic esset circumventa ab astutia Sathanæ, ait in corde suo: O Deus, quid faciet homo? Cui Dominus: *nihil*, inquit, *tantùm valet ad servandam gratiam, sicut quòd homo semper teneat se in humilitate, non solum interiùs, sed etiam exteriùs, scilicet ut lateat, quantum potest, in benefactis suis.*

Co-

Cogitavit autem illa ſic in corde : O Domine, homines ædificantur in bonis exemplis. Cui Dominus : *quanto magis*, inquit, *ſe abſcondunt, tanto magis ædificantur.*

Dixit quoque Dominus, quòd homo non debet gaudere de ſpirituali conſolatione, ſi non proficit ex hac in gratia. Et adjecit Dominus : *homo non poteſt corporali exercitio continuè laborare pro gratia, nec creſcere. Unde debet ſemper eſſe mentetenus in deſiderio augmenti gratiæ, & in hoc proficit : & quandocunque quieſcit deſiderium, tunc profectus gratiæ quieſcit : & decreſcente deſiderio decreſcit gratia.*

Item dictum fuit ei de ſodali ſua ſupradicta, quòd veſtibus indueretur pretioſis ipſius Dominæ Duciſſæ, & in his multùm delectaretur, & in ornatu quolibet. Ipſa enim ſolita erat haurire devotionem interiùs de pulchritudine exteriori. Hæc iſta virgo benè cognovit, &, cùm eſſet ſolitaria, cœpit revolvere in mente ſua de ſodali ſua, quoniam ipſa hæc faceret magna ſinceritate. Tunc vox interiùs dixit ei : *Diabolus eam in hoc excæcavit : quia in his placentiam haberet.* Dixit quoque Deus, quòd ſuper his non tranſiret impunita.

Cap. CXLV.

De Sancta Cruce & planitie terræ.

IN Inventione Sanctæ Crucis hæc virgo communicavit, & facta super eam manu DOMINI fuit in spiritu in immenso lumine, & totus Mundus illustratus illo lumine, & terra videbatur redacta in planum, nec montes, nec colles, nec civitates, nec villæ super terram erant, terra alba, luminosa, aër serenissimus & indicibiliter illuminatus, firmamentum cœlestis coloris & serenum plùs quàm dici possit.

Apparuit autem ibi talis forma sive dispositio Crucis: lux in terra, & sursum diametraliter fuit apertum, & illa apertura lucis pervia, nec illius aperturæ & lucis finem videre potuit. A dextris erat infinita hominum multitudo, qui rapti & elevati erant in aëre. Et intellexit, quòd essent hi omnes, qui adhuc erant in corpore vivi, & in quibus passio Salvatoris & Mysterium redemptionis præstaret effectum, & non alii. A sinistris erant bona merita, figurata in lucida materia: & omnia sibi invicem cohærebant, sic disposita quasi in modum cochleæ, per quam ituri sursum ascendebant,

&

& ſic in altum uſque procedebatur. Et lucidè & plenè merita à meritis diſtincta cognovit; & omnia, quæ vidit, in momento intellexit & cognovit familiariter.

Cap. CXLVI.

De gradibus miſericordiæ.

MErita miſericordiæ ſuper omnia præeminebant. Et dixit, quòd de his omnibus, ſi poſſet omnia ſermone explicare, per ſeptem dies crederet ſe poſſe diſſerere. Tunc rogavi, ut mihi aliqua de meritis miſericordiæ referret, quæ ſic omnibus præeminebat. Ipſa autem diſtinxit ſeptem gradus miſericordiæ.

Primus eſt compaſſio & miſeratio ſuper paſſione & morte Salvatoris, quomodo Salvator in paupertate natus in exilium fugatus, & ibi per laboritium manûs foret nutritus: & ſic de paſſionibus & ærumnis Salvatoris plura pulchrè diſſeruit, prout in viſione intellexerat.

Secundus gradus eſt, quia miſerandum eſt ſuper afflictionibus & laboribus Genitricis DEI: & ſuper Apoſtolis & Martyribus, qui ſuo ſanguine eccleſiam plantaverunt.

Tertius gradus eſt, quia miſerandum eſt ſuper miſeriis animæ propriæ,

quòd eam involvimus peccatis & obligationibus.

Quartus est, quia miserandum est super peccatoribus & animabus: quoniam mors Christi in multis moritur, id est, frustratur. Et dixit, quòd ista compassio esset magni meriti: & comparatur iste misericordiæ gradus primò gradui, eò quòd Filius DEI venerit mori pro peccatoribus.

Quintus gradus est compassio super corporalibus & temporalibus miseriis proximi.

Sextus gradus est super iniqua potentia & oppressione tam in secularibus quàm in Religiosis potestatibus, qui sæpe in tantum sæviunt in subditos, ut eos à DEO compellant recedere.

Septimus gradus est compassio super animas in purgatorio existentes.

Cap. CXLVII. CXLVIII. & CXLIX.

De triplici gradu castitatis, de triplici gradu patientiæ, & de quintuplici via paupertatis.

INterrogavi etiam de merito castitatis. Et dixit triplicem esse gradum castitatis. Pri-

Primus eſt virginitas, & hic eſt maximi meriti.

Et eſt ejus meritum magìs videre & cognoſcere Deum. Et in hoc gradu quidam ſunt, qui tamen non ſunt virgines, ſcilicet Martyres, qui pro amore Chriſti ſanguinem ſuum fundunt: & etiam prædicatores, qui ex amore & ſincera devotione verbum DEI prædicant. Hi computantur in gradu virginum quoad meritum, licèt non ſint virgines. Secundus gradus eſt Viduitas. Tertius gradus eſt caſtitas conjugalis.

Interrogavi etiam de patientia. Et dixit triplicem gradum eſſe patientiæ. Sunt enim, qui gaudent in adverſitatibus. Sunt alii, qui pati propter Deum deſiderant. Sunt alii, qui quamvis non gaudeant de adverſitatibus, nec eas deſiderent, tamen æquanimiter absque murmure illas ſuſtinent.

De paupertate quoque mihi interroganti reſpondit, quòd eſſet quintuplex via paupertatis. Sunt enim pauperes ſub obedientia degentes, qui contenti ſunt his, quæ eis miniſtrantur. Sunt alii, qui in ſeculo degunt in paupertate & penuria patienter. Sunt tertii, qui abundantes rebus propter Deum ſibi neceſſaria ſubtrahunt, & dant pauperibus. Quarti, qui quam-

vis pauperes ſint, tamen nimium eis videtur, quidquid eis Deus miniſtrat in neceſſariis. Quinti ſunt, qui ſe reputant pauperes & nullos in virtutibus.

Cap. CL.

De quatuor angulis Sanctæ Crucis.

DE angulis quatuor Sanctæ Crucis ſic diſſeruit, ut ei datum eſt intelligere. Ait enim, quòd in Angulis quatuor Sanctæ Crucis ſunt quatuor ſigna, quæ tranſierunt in præteritum: item alia quatuor, quæ ſunt in præſenti: item quatuor alia de futuro, & ſic in univerſum duodecim.

De primis quatuor ſic ait: Angulo inferiori Sanctæ Crucis obſtructus eſt aditus inferni.

In ſuperiori Angulo ſignificatur, quòd aperta eſt janua regni cœlorum. In dextro facta eſt redemptio generis humani: in ſiniſtro gratificata ſunt Deo noſtra merita & facta accepta.

Sequitur alius quaternarius. Angulo inferiori calcatur in cordibus noſtris affectus terrenorum, in ſuperiori elevatur affectus æternorum, in dextro datur virtus operandi & patiendi ardua, in ſiniſtro amor ad quodlibet bonum.

Se-

Sequitur tertius quaternarius Sanctæ Crucis, qui est quasi effectus secundi quaternarii. In parte inferiori significantur filii DEI: & hoc respicit primum Angulum secundi quaternarii, scilicet ubi conculcatur affectus terrenorum. Nam in hoc, quòd affectus terrenorum conculcatur in cordibus nostris, probamur Filii esse DEI. Et sic de singulis redde Angulum singulum tertii quaternarii singulo Angulo secundi quaternarii. In parte seu Angulo superiori causatur in nobis pulchritudo & similitudo DEI. In dextro dantur spirituales divitiæ: in sinistro vero scilicet amore boni, rapimur in Deum, & appropriantur nobis omnia bona, quæ in proximis amamus.

Cap. CLI.

De unionibus Divinitatis & humanitatis, & animæ & Divinitatis.

IN octava die Sanctæ Crucis, cùm communicâsset, subitò facta in spiritu fuit in lumine divino: & venit ei in mentem illa dignatio Salvatoris, quòd tanta unione unire dignatus est limum nostrum in Incarnatione, ut, quidquid fecit DEUS, fecisse dicatur ille homo assumptus. Et

ecce cogitanti respondit Dominus: *multùm laudabilis est illa dignatio & digna laude apud homines. Est enim fons & radix omnium gratiarum, ita quòd nemo gratiam aliquam habeat, qui de ejus plenitudine non hauriat.* Et adjecit Dominus: *Non est tamen minùs laude dignum & admiratione, quòd divina Majestas ita dignatur se inclinare animæ sanctæ & devotæ, ut unum velle & nolle cum Deo habeat, ejusq; votis & desideriis libenter Deus obtemperet.*

In lumine divino Deum vidit, & in Deo vidit omnes salvandos, & cognovit, & se ipsam vidit in Deo. Et, quanta familiaritate & amicitia in DEO conjuncti sunt Sancti, ibi vidit, & posuit exemplum. Sicut digiti in manu uniuntur & conjunguntur: sic electi & sancti invicem in Deo juncti sunt. Merita electorum aliquorum sibi familiarium ibi cognovit, &, quantum adhuc essent profecturi in meritis & gratia, ibi vidit.

Cap. CLII.

De meritis justorum.

DIxit quoque ei Dominus, quanti meriti sit vita justorum adhuc in carne existentium.

Primò, quia nunquam potest esse tanta

ta iniquitas malorum, quin DOMINUS propter merita justorum diffundat dona gratiæ suæ in corda hominum, etiam in homines peccatores, & sæpe in illos, qui gratiam DEI non quærunt.

Secundò, quia Dominus omnia bona, quæ fiunt in Ecclesia, etiam à malis, quæ ipsis etiam non prosunt, conservat in commune bonum fidelibus.

Tertiò, quia ex merito bonorum in hac vita gaudium accrescit Sanctis, & gloria in cœlo.

Quartò, quia merita bonorum non sinunt Dominum percutere Mundum, sicut meretur.

Quintò, quia dant commune suffragium omnibus animabus in purgatorio.

Cap. CLIII.

De venefica tractatione Corporis CHRISTI.

SExta feria post Ascensionem DOMINI, cùm esset in ecclesia post completorium, una fœmina rurensis, ùt videbatur, facie cooperta venit ad eam, dicens: quia Corpus DOMINI videretur jacere in Altari, & insistebat illa rurensis isti virgini, ut alicui Sacerdoti ostenderet. Habebatur quoq; eadem Rustica suspecta, ne fortè ipsa

illuc Corpus DOMINI posuisset. Veniens autem hæc devota, & videns quasi partem hostiæ multùm expavit, fluctuare tamen in animo cœpit, utrum esset hostia consecrata, an non? Et flectens genua ibi coram altari sensit mox spiritus consolationem, & illa mentis conflictatio dimisit eam. Cumque surgeret, iterum dubitare cœpit, utrum esset Corpus DOMINI, an non? Et ista conflictatio mentis fuit valde pœnalis. Quotienscunque autem surgeret, illa tentatio invasit eam, & cùm genua flecteret, dimisit eam.

Tandem supervenit Sacrista Frater quidam, cui ipsa ostendit hostiam, qui eam reservavit in crastinum sumendam cum reverentia propter dubium.

Cœpit quoque hæc devota cogitare de Corpore DOMINI, cùm irreverenter tractatur à veneficis, utrum sit ibi & maneat Corpus DOMINI? Cui interiùs divina inspiratio respondit: *Si Corpus Dominicum pedibus conculcetur, non potest ipsum pes vel calceus attingere, nec quidquam pati potest, etiamsi projiciatur in cloacam:* Quia per passionem semel factum est impassibile.

Cap.

Cap. CLIV.

De agno carne humana veſtito.

Cùm autem eſſet ſerò, illa in Oratorio ſuo domi poſt Completorium, facta eſt in ſpiritu: & ecce apparuit ei Agnus magnus ad modum vituli anni unius, carne humana veſtitus, nudus, habens faciem humanam, & incedens quatuor pedibus, ùt Agnus, facie verſa ad terram, & diadema circa caput ejus. In hac apparitione turbata eſt in ſpiritu, & mox illa viſio diſparuit, & ad ſe reverſa eſt. Et poſt modicum Agnus ille iterum apparuit, ſicut priùs apparuerat, & iterum diſparuit: & ibi recepit ſpiritus conſolationem & amoris inflammationem.

Sequenti verò mane in Sabbato veniens ad Eccleſiam, cùm plures ibi Miſſæ ſimul legerentur, ad quas audiendas ipſa ſemper magnam habuit gratiam & devotionem, & vellet vacare devotioni: (nam hæc fuit ejus conſuetudo, ut frequenter ſub Miſſa contemplationi vacaret:) tunc facta in ſpiritu vidit Agnum candidum, ùt nix, veſtitum lana candidiſſima.

Fuit autem Agnus mediocriter magnus, qui circuibat omnia Altaria, ubi Miſſæ legebantur, & ore ſuo Caſuales * omnium Sa-

* *i. e. caſulas.*

Sacerdotum deosculabatur incedens jocundus. Ipsa autem admiratione magna est persusa. Et ecce subitò reperit Agnum juxta se stantem, qui genas ejus ore suo deosculabatur, ex cujus contactu ipsa fuit suaviter inflammata etiam corporaliter.

Jam tunc quidam Sacerdos Missam celebrans volebat levare Corpus DOMINI: & ipsa instigata ad videndum Corpus DOMINI à quadam persona, sic perturbata est, & visio disparuit. Post Corporis verô DOMINI elevationem iterum se dedit quieti contemplationis, & subitò facta in spiritu Agnum reperit juxta se, sicut priùs, & visum est ei, quasi se ad Agnum: [*inclinaret:*] & in corde suo applaudens ei ait: eja dilecte, venisti etiam ad nos? Cui agniculus: *Sacerdotibus inquit, me trado, & ipsi me offerunt Patri: odoratùsque sum odorem suavitatis devotionis eorum circuiens per singulos.*

Aliæ quoque personæ devotioni vacantes me ad se trahunt, & includunt apud se, ut exire non valeam, nec velim ab eis.

Cap.

Cap. CLV.

Hìc nota de agno & sortilegis & veneficis.

TUnc ipſa ait in corde ſuo. Eja Domine, quid eſt, quòd ſub triſti aſpectu mihi apparuiſti? Cui Agniculus: *ùt agnus, inquit, in quantitate vituli unius anni tibi bis apparui.*

Primò, quia ùt vitulus mactatus ſum: nec ſic faciliter moritur vitulus, ùt agnus, eò quòd ſit fortior vitulus agno. Sic gravi paſſione & dura morte mactatus ſum, ſed à multis mea mors modicùm reputatur.

Secundò, quia ſicut pecus minatur, & in poteſtate eſt ejus, qui eam minat, nec reluctatur: ſic ego ſum in poteſtate omnium, tam peccatorum quàm juſtorum, qui me minant, quemadmodum pecus in ſtabulum. Hoc quidam faciunt peccatores. Minant, inquam ipſi me, quò volunt, non quò ego volo, ſicut ſacrilegi, venefici, & reliqui criminoſi. Nunc vero jocundus appareo propter odorem devotionis bonorum. Hæc viſio facta fuit manè, cùm Miſſæ legerentur in Eccleſia Fratrum.

Circa horam autem tertiam quidam Frater legebat Miſſam. Et ipſa præſens exiſtens horâ immolationis fuit in ſpiritu, & vidit agniculum parvum, valde candi-

didum, ſtantem ſuper patena coram Fratre celebrante, qui intravit in Os Sacerdotis. Et hunc agniculum omnes boni perceperunt, & etiam ipſa. Mirabatur autem ipſa multum, quòd Sacerdotes, qui per ſe celebrando hunc agnum percipiunt, iterum non eò minus cum aliis perciperent ipſum. Et ait, quòd Fratres, qui illum comederunt, quidam forſan erant exituri ad terminos, qui tunc erant in prandio illâ horâ: illi ſimul cum Sacerdote celebrante agnum illum benedictum perceperunt. Et dixit, quòd ſic neſciendo percipientes agnum percipiant permagnam virtutem contra peccatum & contra pronitatem peccati.

Cap. CLVI.

De Sacerdotibus non percipientibus Agnum.

INde dictâ Miſsâ ivit ad aliam eccleſiam: [Hæc enim erat ejus conſuetudo, ut viſitaret eccleſias, quamdiu Miſſam aliquam alicubi ſperaret celebrari:] & invenit unum Sacerdotem legere Miſſam: & in hora immolationis iterum fuit rapta in ſpiritu, & iterum vidit agniculum ſtantem ſuper patenam, ſicut in priori Miſſa viderat. Sed illi Sacerdoti non eſt datum ibi agnum per-

percipere, ſed alii boni & dignè diſpoſiti ad eſum agni, qui ſcilicet fuerunt ſine mortali, ipſum agniculum perceperunt. Et poſuit illam parabolam Salvatoris in exemplum; ubi homo quidam fecit cœnam magnam, & invitavit multos, qui ad cœnam venire neglexerunt, & tunc Dominus fecit vocari alios ad cœnam. Sic, ſi Sacerdos negligens & indignus eſt, Dominus propter hoc non patitur perire illius Sacramenti cœnæ ſanctiſſimæ fructum.

Cap. CLVII.

De tumultuantibus & prælianti-bus in Mundo.

IN die Pentecoſtes, cùm communicaſſet, quaſi hora tertia, facta eſt ſuper eam manus DOMINI, & vidit lumen, quaſi lumen candelæ magnum valde, & in illo lumine totum Mundum, Reges & Principes & potentes ſeculi, tam Laicos quàm Clericos, contra ſe & invicem tumultuantes & præliantes. Et videbatur magna confuſio, ita ut ipſa turbaretur hæc videns, & renuit, quantum potuit, in animo illam apparitionem. Intellexit quoque, quòd, ſicut lux candelæ deficiens in favillam & cinerem redigitur, ſic contendant

dant homines ſeculi pro temporalibus, & pro honoribus, quæ favillæ & cineri comparantur.

Cap. CLVIII.

De Spiritu Sancto & Capitulo Parisiensi Fratrum.

POſt hæc rapta eſt in lucem, & quaſi claritatem cœleſtem, & elevata eſt, ùt aquila in altum, ita ut omnia, quæ in Mundo ſunt, conſpiceret. Tunc quoque celebrabatur Capitulum generale Fratrum Minorum Pariſius, & ipſa vidit Fratres in unum congregatos, & multos in Choro ad Miſſam, diſpoſitionem etiam Eccleſiæ & Altarium ipſa mihi deſcripſit, proùt aliàs audivi ab his, qui ibi fuerant. Sub Miſſa igitur, cùm cantaretur Miſſa de Sancto Spiritu, flamma magna deſcendit inter Fratres, & ſcintillæ diſpertitæ copioſè apperuerunt ſuper Fratres: & omnes, quotquot ibi præſentes fuerunt, acceperunt Spiritum Sanctum ita abunde, ſicut ipſa intellexit, quòd omnes ſint in gratia confirmati.

Sic ergo elevata in lumine vidit Orbem terrarum repleri Spiritu DOMINI, & Spiritum Sanctum varias virtutes operari hominibus, & alios locupletiores aliis in virtu-

tutibus. Aliquas virtutes ipſa mihi enarravit, quas infra dicam. Omnes autem virtutes ipſa cognovit dicens, quòd quælibet virtus ſuo lumine ab alia diſtincta cognoſcitur.

Cap. CLIX.

De charitate, quid mereri poſſit.

DE charitate quoque ſingulariter dixit: Quanquam omne lumen à Deo fluat, tamen ipſa charitas illi lumini, quod Deus eſt, præ cæteris aſſimilatur, & aliæ virtutes lumine charitatis illuſtrantur, & hanc ſupremam eſſe dixit: & motu charitatis dixit magìs mereri, quàm luctu, tunſionibus, & ſimilibus laboribus, eò quòd aliquod veniale dimittatur: etiam tunc, cùm quis eſt in motu & actu charitatis, in igne charitatis purgatur.

Dixit, quòd devotas in amore DEI languentes & quaſi deficientes Deus charitas quaſi manibus ſuſtentat, fovet & amplectitur, & ipſæ quidem animæ devotæ illi ſuperinnituntur.

Dixit quoque, quòd ſi triginta annis deberet ſupervivere, ipſa vix ſufficeret enarrare ea, quæ cognovit de virtutibus

& aliis, si tamen possent sermone explicari, vel ab intellectu humano capi. Quemadmodum enim cœcus natus non capit nec intelligit, si quis ei narrat de Solis dispositione & ejus pulchritudine: Sic intellectus humanus, nisi divino lumine illustratus, non capit illa verba arcana DEI, quæ in spiritu videntur & audiuntur.

Cap. CLX.

De castitate & recidivantibus.

DE castitate dixit, quòd est janua omnium virtutum & fundamentum, & quòd Deus illam tenerrimè diligit, & quòd est familiarissima Domino, & quòd refulget ejus claritas quasi lumine humanitatis Christi, sicut charitas lumine Divinitatis, & permaximè castitas virginalis.

Dixit quoque: Illis, qui suam castitatem virginalem illibatam custodierunt propter Deum, libenter & promptè obtemperat, & illorum vota quasi Domino important, * & ausum petendi eorum magìs pro grato recipit, quàm illorum, qui suam innocentiam aliquando maculaverunt, licèt postea pœnituerint.

* i. e. Domini intersunt.

Et

Et dixit, quòd peccatum [*recidivantium*] permaximè à Spiritu Sancto efficit animam alienam, & difficilior est aditus Spiritus Sancti ad corda talium, quàm aliorum peccatorum. Et quia sæpe tales compunguntur, & iterum recidivant: &, quoties recidivant post gratiam com punctionis, toties quasi obice & repagulo januam gratiæ ante se claudunt & obstruunt, & plùs inhabiles ad gratiam fiunt.

Ait quoque, quòd rarò vel nunquam resipiscunt, qui in hoc peccato, scilicet incontinentiæ, se nesciunt: &, quòd etiam boni conjugati, absque mortali existentes, quamvis sint in gratia, tamen cùm sunt in actu conjugali, nunquam percipiunt novam gratiam.

Cap. CLXI. CLXII. CLXIII. & CLXIV.

De gradibus humilitatis, de patientia, de timore & obedientia, & de opere Spiritus Sancti.

HUmilitas est maxima negotiatrix gratiæ & meritorum, & ipsa lumen charitatis accendit, & charitas illi obsequitur in officiis suis.

Ad humilitatem pertinet *primò*, ut in se sit humilis, non altum sapiens de se.

Secundò, ut proximo sit exemplaris,

Tertiò, ut benignæ sit exhibitionis & mitis.

Quartò, ut proximo sit obsequiosa.

Quintò, ut Deo sit grata, & cum devota gratiarum actione à DEO beneficia recipiat, & cùm sentit beneficiari à DEO in aliqua gratia, eò plùs se deprimat, &, quid à se ipsa sit, recognoscat.

Compassio tanti est meriti, ut recompenset DEO beneficium passionis & mortis.

Patientia in specie agniculi Dominum sequitur, multùm congregans fructum. Unde permaximè Dæmones gaudent, quando aliquos bonos possunt movere ad impatientiam. Hæc est quasi portitrix luminis, quod aufert & extinguit impatientia.

Timor est custos virtutum & gratiæ, & quasi ostiarius, non sinens aliquod perniciosum ingredi animam.

Obedientia plùs est meritoria, eò quòd propriam voluntatem abnegavit, & semper est in actu merendi: quod alteri non esset meritum aliquando, vel modicum meritum, hoc obedienti est majus meritum, & semper continuè quasi per gradus quosdam ascendit in Deum.

Huic

Huic tanquam fideliſſimo DOMINUS pretioſa Cleynodia * ſervanda committit. * *i. e. cimelia.*

Dixit, Spiritum Sanctum in omnibus baptizatis operari, etiam in peccatoribus, quia in baptiſmo ſigillum Sancti Spiritus à ſe eis imprimitur. Unde non deſerit eos usquequaque. Aut enim in peccatore operatur converſionem, aut tanquam clypeus peccatorem protegit, ne in omne malum, quod vult, diabolus ipſum præcipitet.

Infideles autem & non baptizatos vidit quaſi in tenebroſo carcere, & in uno acervo, nec vitam habere videbantur, expectantes, quando terra aperiat os ſuum, & eos abſorbeat in profundum.

Vidit ſeptupliciter bonos recipere Spiritum Sanctum. Quidam receperunt in igne per inflammationem amoris divini. Quidam in voce prædicationis verbi DEI. Quidam in vento vehementi per compunctionem & dolorem peccatorum. Quidam in ſuavi rore ſpiritualis conſolationis, ſive per ſpiritualem conſolationem puſillanimium. Alii in quadam luce per internam revelationem, qua intus abſorpti & rapti arcana DEI ſpeculantur. Hoc quidem paucorum eſt. Alii in ſpecie columbæ per manſuetudinem & lenitatem

ſpiritus, & per ſimplicitatem cordis. Alii in Manna abſconditæ dulcedinis perceperunt Spiritum Sanctum.

Cap. CLXV.

De donatione Chriſti.

IN feſto Sanctæ Trinitatis apparuit ei Chriſtus indutus veſtibus Sacerdotalibus præter caſulam, veniens congregare electos omnes ad Patrem, ut, ſicut Patri in Filio ſuo Unigenito & coæterno complacuit, ita ei complaceat in omnibus electis ſuis: & quidquid eis deeſt meriti ad hujus beneplacitum, ipſe DEI filius ſupplet meritis ſuæ paſſionis & mortis.

Apparuit ibi quoque innumerabilis multitudo hominum in unum congregatorum & condenſorum.* Chriſtus autem ſingulis largitus eſt munera de manu ſua. Quantumcunque dabat, dextera tamen ejus ſemper plena erat, nec eo minus habebat in manu ad dandum. Dabat autem dona varia, ſed omnia lucida & varia claritate diſtincta. De quibus aliqua expoſuit mihi.

* *f. l. condenſatorum.*

Quædam refulgebant alba luce & hæc ſignificant caſtitatem.

Quædam cœleſti colore ſplendebant, & hæc ſignificant ſanctitatem exemplaris vitæ.

vitæ. Et dixit, quòd majoris meriti eſt unum peccatorem convertere bono exemplo, quàm centum prædicatione.

Alia erant rubea, & ſignificant caſtigationem & corporalem paſſionem. Alia erant viridia, & ſignificant virorem devotionis & elevationem mentis per gratiam in Deum. Alia erant aureæ lucis, & ſignificant amorem & charitatem.

Cap. CLXVI.

De negligentia.

IN die Beati Antonii, cùm vellet communicare, credens, quòd ejus Confeſſor, qui ſolitus erat eam communicare, vellet Miſſam dicere in Monaſterio Sancti Jacobi: [nam ibi promiſerat ſe in mane prædicaturum:] ipſa ivit ad dictum Monaſterium. Hoc autem neſcivit ejus Confeſſor, credens eam eſſe in eccleſia Fratrum, ibi legit Miſſam, & volens eam communicare illa non comparuit: & ſic communione neglecta nimis triſtis efficitur. Tandem rediens ad eccleſiam Fratrum circa horam ... reperit unum volentem legere Miſſam. Et ſe recolligens in culpa ſua dicta poſtulabat ab eo communicari, ibique ſub Miſſa cœpit cogitare, quonam peccato hanc turbationem meruiſ-

ruiſſet? Et reſponſum accepit, quia Confeſſionem & Communionem propter levem cauſam tam diu diſtuliſſet. Confeſſor enim ejus defuerat benè per octo dies, & ipſa medio tempore neglexit alteri confiteri, nec communicavit, cùm tamen eſſet feſtum, quò cæteræ devotæ perſonæ communicaverunt. Iſtam negligentiam Dominus in ea punivit. Et ait Dominus ad eam: *Tuus Confeſſor etiam pœnam ſuam pertulit, videlicet ſubtractionem gratiæ & viſitationis ſpiritualis: eò quòd ſe exponens laboribus itineris, & exterioribus occupationibus, ſe intus neglexit.*

Cap. CLXVII.

De manu dextra, vulnere oblongo perforata, & de patientia.

POſt modicum ſub eadem Miſſa in ſpiritu vidit manum in dextram vulnere oblongo perforatam: ſenſit quidem adeſſe Dominum, ſed non vidit, niſi manum. Expandit quoque Dominus palmam per os ejus & faciem, ex cujus contactu ſenſit miram fragrantiam odoris, & incendium devotionis & amoris in corde: & tanto ardore deſiderii æſtuabat, ut vix ſuſtinere poſſet. In facie quoque ſenſit corporaliter

liter incendium ex contactu vulneratæ manus: percepit nihilominus permaximam spiritus consolationem, & audivit vocem DOMINI dicentem sibi: *Disce patientiam in adversis: & vide, quanta passus sim in cruce pendens manibus, ut ex mole corporis deorsum trahentis clavus sic vulnus in longum laniaret.*

Hæc cùm mihi ista virgo Christi referret, vix præ lachrymis loqui potuit. Hæc acciderunt feriâ sextâ in die Sancti Antonii. * Secundâ autem feriâ, cùm esset confessa, & ista mihi retulisset, adhuc flamma divini desiderii in ejus pectore æstuabat. Et dixit mihi, quòd sequenti die tanta vis amoris in ejus pectore excreverat, quod ferre non valens ferè in clamorem eruperat: sed rogavit Dominum, ne permitteret eam sic divulgari, quod & Dominus fecit.

* *A. 1291. in Feriam sextam incidit festum S. Antonii de Padua.*

Sequenti die Sabbati, cùm audisset sermonem, & videret quasdam personas devotè Communionem Sacram accipere, magno incepit fervere desiderio ad Communionem. Sicque venit ad aliam ecclesiam, ubi quidam Monachus, devotus homo, post Communionem purificavit manus super calicem: & ipsa desiderans saltem de calice bibere accessit, & Monachus ejus devotionem amplectens ei de illa purificatione porrexit, in qua sibi vi-

debatur esse quasi una mica de Corpore DOMINI, quam gaudens & exhilarata sumpsit. Quâ perceptâ, mox sensit tantam spiritus consolationem, ut raperetur in magnam admirationem super bonitate DEI.

Et audivit vocem intra se dicentem sibi? *Quid admiraris de bonitate mea? Ego plus possum dare, quam homo posset recipere: meaq; delitiæ sunt esse cum cordibus & animabus devotis, ex corde me desiderantibus.*

Cap. CLXVIII.

De subtracta gratia, per quid recuperari possit, & de quinque vulneribus.

DEinde veniens ad Ecclesiam Sancti Stephani voluit vacare contemplationi. Erat autem in corde suo talis cogitatio & sollicitudo, quomodo Deo adhæreret? Et audivit vocem intra se replicantem sibi de manu vulnerata, quam viderat, & ait vox: *Homo in turbatione positus, vel cui subtracta est gratia, in nullo potest ita recuperare gratiam, & pacem cordis invenire, uti in devota memoria passionis Christi.* Et adjecit: *in dextra manu & vulnere quære & disce patientiam, & quam patienter sit passus Filius Dei, sicut vidisti manum ejus vulnere laceratam.*

tam. In sinistra disce & quære humilitatem, & quàm humiliter passus est Filius Dei. In vulnere pedis dextri quære & hauri misericordiam, & quàm miseratione magna misertus est humano generi. In vulnere pedis sinistri disce voluntariè pati, & desiderium patiendi. In vulnere lateris disce charitatem, quam sponsus sponsæ suæ Ecclesiæ inde propinavit, & aperto latere cordis ei amorem aperuit.

Adverte etiam sanguinem bullientem & de latere fluentem, qui incendium devotionis in animabus devotis operatur. Adverte nihilominus aquam fluentem de latere, quæ significat lachrymas, quibus devotæ animæ lavantur & mundantur: & nihilominus fluxus illius aquæ significat fluxum gratiæ à DEO in animam.

Cap. CLXIX.

De querimonia Sanctorum Petri & Pauli de quodam Episcopo.

OCtava die ante festum Apostolorum, in una Dominica, * apparuit ei Dominus, indutus vestibus Sacerdotalibus præter casulam, bajulans magnam securim in humero, multò majorem, quàm superiùs in visione alia: * minabatur autem

** A. 1292. festum Petri & Pauli incidit in Dominicam.*

** Cap. 85.*

tem Episcopo interitum. Nam Beatus Petrus & Beatus Paulus, quorum festum tunc instabat, moverunt querimoniam de Episcopo, quod turbâsset plebem Dei, fulminando nimis indiscretè sententiam interdicti per totam Diœcesim. Affuit autem Beatus Stephanus, Patronus Ecclesiæ Pataviensis, & petivit, & obtinuit ei inducias usque ad festum Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, quòd se emendaret. *

** Id factum non dubito, cùm Bernh. Episcop. de quo hic sermo, longè ultra hunc annum vitam produxerit.*

Virgo autem hæc mirabatur apud se, cur hæc securis, quam Dominus erexerat contra Dominum Episcopum, esset major illâ, quam suprà * erexerat contra Regem Romanorum, qui jam eodem anno defunctus fuerat. Et datum est ei intelligere, quoniam spiritualis potestas major est quàm secularis, & ideo etiam sententia major & gravior.

** Cap. 85.*

Beatus Petrus indutus fuit vestibus pontificalibus, & infulatus, habens in manu sua baculum, casula indutus coccinea sive rubea. Beatus Paulus fuit indutus vestibus albis præter casulam. Beatus Stephanus indutus fuit tunica tota rubea usque ad pedes. Episcopus autem stabat à longe, cùm hæc agerentur.

Cap.

Cap. CLXX.

De lectura in quinque vulneribus CHRISTI.

ITem apparuit ei Crucifixus, & in quolibet vulnere, quasi in littera, scriptum legebatur. In vulnere dextræ manus legebatur: *ego vos redemi de morte æterna, & sum vobis clypeus contra omnes angustias.* In vulnere manus sinistræ legebatur: *ad me securè confugite, nec diffidatis: ego enim largiùs impendi me pro vobis. Unde diffidentes de me graviùs peccant, quàm Judas me vendendo.* In vulnere pedis dextri legebatur: *transite ad me omnes, qui concupiscitis me: ego enim paratior sum offerre, quàm vos accipere, vel capere gratiam.* In vulnere pedis sinistri legebatur: *ego ipse influxus sum gratiæ, & bonitatis origo.* In vulnere laterali erat scriptum: *intrate per hoc foramen omnes, qui quæritis videre faciem divinitatis: &, quò profundiùs intratis, eò limpidiùs Divinitatem cognoscetis.*

Hæc autem scriptura quintuplex quinque vulnerum indistinctè ad omnes Christianos referebatur. Nihilominus tamen in eisdem vulneribus Crucifixi singulariter quivis legebat, quod suum erat. Et po-

posuit unum exemplum de una persona Religionis cujusdam, qui legebat in vulnere manus dextræ: *paratus sum ad mandatum obedientiæ.* In sinistra legebat studium se ipsum cognoscendi. In vulnere pedis dextri legebat, nihil aliud quærere nec concupiscere, quàm quòd posset ipsum promovere in Deum, & conjungere Deo. In vulnere pedis sinistri legebat ex corde desiderare pati mortem pro Christo. In vulnere laterali legerat semper desiderare internam dulcedinem & consolationem manentem in corde DEI.

Cap. CLXXI.

De subtractione gratiæ Confessoris hujus puellæ.

QUodam tempore ego tristis incedebam propter subtractionem gratiæ. Nam languens spiritu non valebam cor meum elevare ad desideria cælestia, nec applicare ad devotas affectiones. Sed, quoniam hæc acceptabam quasi repulsam patiens, relinquebar mihi ipsi quasi lignum aridum. Ego quoque huic virgini meas miserias exposui. Ipsa enim sæpius subveniebat mihi orationum suarum suffragiis in similibus necessitatibus. Dictumque est ei à Domino, quòd hæc mihi

hi accidiſſet deſolatio propter peccata mea, videlicèt, quòd me nimis ex corde & affectu dediſſem ad placandam Dominam Duciſſam ſuper quadam turbatione, quâ ducebatur contra Fratres, & circa hoc nimis diſtractus fuiſſem propter ſolemnitatem ſuæ * & dignitatem. Aliud quoque fuit peccatum, videlicet quòd, cùm cantarem in choro, & debuiſſem fuiſſe intùs cum Deo, reſpiciens aliqua vidi, de quibus nimiam diſplicentiam & indignationem habui. Primum peccatum ego ipſe benè opinabar eſſe cauſam deſolationis meæ. Secundum non adverteram: Sed poſtquam ipſa mihi hoc dixit, tunc benè adverti me infra horas habuiſſe indignationem, & impatienter quendam Novitium reprehendiſſe.

* *Ita mendosè Cod.*

Cumque mihi hæc retuliſſet, ego videns paupertatem & miſeriam meam, rogavi eam, ut rogaret pro me Dominum ſuper miſeriis meis, & ut faceret me bonum Fratrem.

Ipſa autem orans accepit reſponſum tale: *Quid poſtulas? Si vult, ut nihil ſibi noceat, tunc neceſſe eſt, ut ipſe nihilum fiat.*

Hoc autem verbum ipſa non intellexit: & mirabatur, quidnam eſſet, vel quomodo deberet nihilum fieri. Cumque hæc tacita in corde revolveret, audivit vocem dicentem ſibi. *Sic debet redigi in ni-*

nihilum, ut præ omnibus sui ipsius curam gerens, invigilet super emendatione sui: &, quidquid profectum vel emendationem impedit, recuset & caveat, id est, non amet. Ego hunc sensum convenire puto cum verbis Salvatoris in Evangelio: *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam & qui perdiderit eam propter me, salvam eam faciet.*

Adjecit quoque Dominus, dicens: *illa anima habet delitias, quæ tristatur super damno suo, id est, animæ damno.* Hoc quoque credo propter eam dictum. Nam ipsa tunc tristis etiam fuerat, eò quòd minùs solitô à Domino visitaretur. Super suis etiam defectibus, quantumlibet parvis, ipsa frequenter plurimum turbabatur.

Cap. CXXII.

De duobus, quemnam illorum plus diligeret Deus.

COntigit, ut tres Fratres, ad quos ipsa specialem habebat gratiam, una die successivè legerent Missas in uno altari, ubi illa die communicaverat. Et venit ei in cor, quemnam illorum plùs diligeret Deus? Et mox ipsa se ipsam reprehendit, quo-

quoniam hæc esset otiosa cogitatio & supervacua: & sic quievit, & dedit se contemplationi. Et facta est super eam manus Domini, & fuit in spiritu, & audivit: *ecce Dominus vult satisfacere voto tuo. Iste, qui tunc Missam legit, diligitur à Domino tenerè & dulciter, eò quòd innocentiam suam virginalem servaverit: nec patitur eum Dominus aliqua pati, quemadmodum mater infantem, quem tenerè amat, eiq; blanditur, & cavet à molestiis: & ipse contentus gratia, quam Dominus dare dignatur, sic quiescit in ejus amore.*

Deinde iterum Dominus ait: *Frater Nicolaus, qui ante eum legit Missam, diligitur à Domino forti dilectione. Et tales sunt in continua pugna contra:* [carnem:] *& frequenter triumphant, & sunt magni meriti apud DEUM, & de ipsorum meritis reponit Dominus in communes thesauros Ecclesiæ. Et perpauci sunt, qui non in cogitationibus cadant, aliquando non resistendo, nec detestando strenuè. Quandocunque per Angelos malos fit immissio malarum cogitationum, & eis non resistitur cum detestatione debita, tunc legio, id est, multitudo Dæmonum, exultant, sperantes se aliquid ex hoc plus proficere ex eo, quòd ampliùs impugnationes continuant. Inde fit, ut hac pugna in multis protenditur usque in senium.*

O Cap.

Cap. CLXXIII.

Quid DEO gratissimum sit in homine.

FRater verò tertius, qui primò legit Missam diligitur à Domino ferventi dilectione. Unde ipse frequenter inceditur in devotione, & fervet ad Deum pro gratia & virtutibus amplius. Tales autem habent optimam partem dilectionis, eò quòd hoc Deo maximè placet, scilicet ut in amore Dei quis ferveat, & ferventer Deum desideret & ejus dona: hoc enim gratissimum est Deo. Tales lucent exemplis bonis coram hominibus. Nam, quo frequenter intus sitiunt Deum & gratiam Dei, eò minùs foris admittunt aliquas levitates: sed semper seriosi & maturi bonum præbent exemplum proximis, & exemplo docent, unde participant [merita] *prædicantium. Isti etiam fortem habent voluntatem sustinendi propter Deum, & in hoc merentur præmium Martyrum. Et, quoniam semper languent desiderio post Deum, ipsi admittuntur in abyssum divini luminis, id est, Dei cognitionem, & intromittentur in suavitatem divinæ dulcedinis præ cæteris.*

Cap. CLXXIV.

De arcu cœli & de collationibus de Deo.

IN illis diebus iterum una vice, facta super eam manu DOMINI, fuit in spiritu: & apparuit ei arcus cœli, in quem Sol ex opposito refulgebat. Dictumque est ei à voce interna: *arcus significat humilitatem, quæ attrahit animæ gratiam, quemadmodum in illa parte arcus aquæ maximæ attrahuntur. Viridis color significat virorem gratiæ, quâ anima viret in Deo, & Deo locum facit in anima. Rubeus color significat incendium divini amoris in anima. Niger sive terreus color significat voluntarium laborem actionum & passionum propter Deum.*

Et post hæc visum est ei, quòd arcus ille deponeretur ante eam super terram: & vidit in eo scriptum, & legit: *quandocunque estis in collationibus de Deo; & hæc quatuor non sentitis in anima, tunc timete, ne aliqua sitis locuti impertinentia, propter quæ gratiam non sentitis.*

Cap. CLXXV.

De osculationibus altarium, & de suavitate ad modum similæ calidæ.

HIs diebus accidit, ut oscularetur super altare, in quo illa die Missa fuerat celebrata: (hoc enim præ devotione solita erat facere omni die:) in quo osculo Dominus ejus devotioni reddidit hanc consolationem, ut semper, quando altare oscularetur, in quo illa die Missa fuisset dicta, ipsa sentiret miram suavitatem ad modum similæ calidæ. Tamen suavitas istius incomparabiliter odorem vincebat similæ. Nam ex hujus odoris suavitate in spiritu sensit immutationem suavissimam.

Igitur disco operiens altare vidit quasi stillam, & reputans, quòd foret lachryma devotionis fusa à Sacerdote, qui tunc Missam ibi celebraverat, ad quem ipsa habuit gratiam specialem, hilaris facta super illam stillam osculabatur: sed nihil sensit de suavitate soliti odoris. Unde mox tristis facta ivit ad aliud altare, & illud deosculans percepit ibi suavitatem solitam, Mirabatur quoque, curnam hoc esset? Et vox ad eam: *hoc*, inquit, *ideo*

est

est, ut scias istud solius Dei donum esse: nec speres aliunde hanc consolationem, nec puta te aliquid sentire propter celebrantis sanctitatem.

Cap. CLXXVI.

De inopinata gratia.

IN die Sancti Jacobi Dominus eam plùs copiosiori gratia invisere dignatus est & consolatione, ut etiam miraretur, quòd tam impræparata tantam abundantiam suavitatis perciperet, & sæpe magis laborans in studio devotionis minus perciperet. Et vox ad eam: *sicut nubes*, inquit, *repletæ abundanter fundunt imbrem super terram: sic Dominus plenus gratia & bonitate abundantiùs dat gratiam, ut sua bonitas innotescat homini: &, cùm subtraxerit se homini ad horam, ut homo ferventiùs sitiat desiderare gratiam, quam priùs habuit tam abundanter. Et hujus suavitatis abundantiam Dominus sæpe ex insperato infundit, ut discat homo nihil suis attribuere viribus sed solum Dei gratuitæ bonitati.*

Cap. CLXXVII.

De gratia obtenta cuidam Fratri, & de anima, quæ tria reportat post raptum.

UNa die, cùm communicâsset, venit ad ecclesiam Sancti Stephani ante Ciborium, ubi Corpus DOMINI reponitur: & procidens in faciem suam adoravit. Moxque facta in spiritu, non modica consolatione divinitus perfusa est, & audivit vocem internam, dicentem sibi: *Pete, quod vis, & exaudieris.* Et mox venit sibi in cor de quodam * Fratre, qui eam rogaverat, ut ipsa intercederet pro se ad Dominum, ut Dominus eum faceret bonum Fratrem Minorem. Mox igitur ex corde & in corde oravit Dominum, ut ipse juxta ejus beneplacitum faceret hunc amicum suum bonum Fratrem Minorem. Cui Dominus: *postula*, inquit, *sibi adhuc pro uno, scilicet ùt Dominus conservet eum in omni perfectione.* Hoc ipsum ipsa mox, non ore, sed cordis desiderio postulavit. Et accepit responsum, quòd exaudita esset.

* *ex cap. 171. videtur hoc spectare ipsum virginis Confessarium.*

Et adjecit Dominus: *hoc tibi signum, quòd exaudita sis: quoniam tribus vicibus, in quibus proximè communicabis, copiosiús benedi-*

dictione divinæ dulcedinis perfrueris, ita ut non solùm Dominus donet se tibi, sed etiam secundùm animam tota in Deum rapiaris.

Quod quidem factum est. Et ait: *tria reportat anima secum post* hunc raptum.

Primò quandam inclytam indignationem & contemptum ad omnia mundana, & fastidium ad omnia, quæ sunt, præter Deum. Et talis contemptus est ei quasi murus contra peccatum.

Secundum est quædam absconsa dulcedo.

Tertium est fervens desiderium & languor amoris post Deum. Primum animam nobilitat. Secundum animam in Deum profundat, ut eò profundiùs in Deum assumatur, quo plus gustat de hac dulcedine. Tertium animam clarificat, & claram reddit.

Cap. CLXXVIII.

De tristitia magna ob quandam calumniam.

PRiori die ante Inventionem Sancti Stephani accidit ei tristitia magna ob quandam calumniam & falsi impositionem ei factas.

Cumque sic tristis & amara animo remane-

usque in mane diei Sancti Stephani, sensit tantam amaritudinem in ore, ut eam non lotione aquæ ullatenus posset amovere. Cumque Missas audiret, non percepit dulcedinem solitam, nisi in duabus Missis, ubi tunc dulcoratum fuit os ejus tempore communionis, quò Sacerdos Corpus DOMINI sumere solet. Post hæc mox reversa est amaritudo oris, quæ prius inerat, & per totam illam diem amaritudo illa in ore suo perduravit.

Puto autem istam amaritudinem miraculosam fuisse, ut amaritudini cordis responderet amaritudo oris. Sero autem facto, cùm ista turbatio cordis non quiesceret, ipsa statuit in corde suo, quòd nollet aliquam consolationem recipere, nisi Dominus se ipso eam consolaretur. Cumque istà meditaretur, sæpe præsensit præludia spiritualis consolationis, quæ semper renuit. Consolari enim renuit, nisi per divinam præsentiam.

Cap. CLXXIX.

Quomodo totaliter rapta fuit in Deum.

TAndem subitò absorpta est intus in lumen mirificum, & inflammata igne divino, ibique totaliter rapta est in Deum, ut

ut nec ſe ipſam adverteret, nec aliquid aliud, quàm DEI infinitam ſuavitatem, bonitatem, & dulcedinem, quâ DEUM contuens fruebatur. Sicque inebriata eſt Deo, ut etiam ſi reditura eſſet ad eſſe proprium, vel ſi aliter eſſe haberet, quàm ibi habuit, non penſavit: Sicque ſe ſenſit Deo in Deo unitam, ut, quidquid deſideraret, quæcunque ſcire cuperet, omnia ei præſtò eſſent. Dixit quoque ineffabilia fore, quæ ibi cognovit: nec per ſe, nec per ſimilitudinem aliquam explicari poſſe* paucis exceptis, quæ infrà ſubſcripta ſunt.

* Cod. poſſent

Cap. CLXXX.

De patientia quid mereatur.

IN explanatione hujus raptus primò de patientia ſermonem exorſa eſt: quippe cui antea parumper in turbatione poſitæ patientia fuerat neceſſaria, iden forſan patientiam commendavit, ſicut in viſione intellexit. Dixit itaque, quòd patientia maximi meriti eſt apud Deum. Nam per patientiam ſuper aliqua tribulatione homo aliquando plus meretur in modico tempore, quàm decem annis actitando & exercitando ſe in laboribus & ſervitiis Dei quibuslibet.

Ait quoque, quôd talis patientia debet

esse multùm humilis, videlicet, ut, cùm quis patitur aliqua adversa, & patientiam habet, non multùm cogitet de merito, quasi per illam patientiam magni existat meriti, sed cogitet, & reputet, se illam adversitatem, si non tunc & in illo casu, tamen aliàs meruisse.

Cap. CLXXXI.

*De visione omnium hominum distinctis * in duodecim divisionibus, & diversis eorum statibus.*

* Ita Cod.

IN hac visione in DEO existens vidit omnes exercitus cœli, Angelos & Sanctos. Vidit etiam homines omnes super terram viventes, qui erant distincti in duodecim divisiones & partes.

In prima parte apparuerunt quasi trunci homines, nihil habentes de homine nisi faciem, quæ erat teterrima: & quasi mortui & immoti jacuerunt. Et isti sunt gentiles, in quibus sola imago Dei est, mutilati ab omni virtute & gratia.

In secunda parte homines erant habentes integram dispositionem humanam, sed nigri & cæci, jacentes quasi mortui: & isti sunt Judæi, cæci in fide & in scriptura sacræ fidei.

Tertii

Tertii fuerunt vivi excoriati: & discurrentes hinc inde sanguine suo alios inquinaverunt, quos tetigerunt. Isti sunt hæretici, qui discurrentes per Mundum suis erroribus non cessant fœdare animas.

Quarti fuerunt Apostatæ, quorum magna multitudo est, qui in Ecclesia multùm nocent.

Quinti fuerunt peccatores temerarii, absque fronte, & sine timore peccantes publicè, & studentes peccare, quantum possunt.

Sexti homines sunt seculares, qui peccatis quidem involuti, non tamen ita publicè, sed aliqua honestate conversationis in facie hominum ornati, fornicationibus tamen & adulteriis & usuris & similibus innodati, eleemosynas largiuntur pauperibus, ecclesias visitant, & similibus bonis operibus intendunt.

Septimi sunt hypocritæ, sub quibus comprehenduntur omnes mali Religiosi, omnes mali Prælati, omnes mali Sacerdotes. Isti septem ordines sunt omnes in statu damnationis, nisi convertantur.

Sunt aliæ quinque turbæ, quæ sunt in bono statu.

Primi sunt boni conjugati & vitæ activæ mancipati, qui juxta suam possibilitatem

tem Deo ſerviunt, abſtinentes ab omni mortali peccato.

Secundi ſunt devotæ viduæ & viduati, cœlibem vitam actitantes in ſeculo.

Tertii ſunt Religioſi ſub obedientia degentes: & iſti ſunt magni meriti apud Deum. Nam nihil eſt adeò modicum, quod ſub obedientia faciunt, pro quo non remunerentur, etiam pro quolibet paſſù & veſtigio pedis, longè plùs aliis, qui pro ſua voluntate illa faciunt vel dimittunt, ſicut eis placet. In laborioſis verò & arduis operibus, quæ explent ad mandatum obedientiæ, ipſi merentur conformari Filio DEI, qui obediens Patri, labores ſubiit pro nobis: & in hoc recompenſant Filio DEI, & reſpondent ejus obedientiæ: nec eſt aliud, quo pleniùs reſpondeatur Filio DEI pro ſuis laboribus, quàm obedientia facta ex mera charitate. Unde quidam habent doloſam obedientiam, illi ſcilicet, qui Prælatis obediunt, captando eorum benivolentiam, & adulantur ſuâ obedientiâ.

Hos dixit ipſa ſimiles eſſe ancillis, quæ facietenus dominabus ſuis applaudentes & ſervientes, clàm furantur, quæcunque poſſunt. Sic iſti defraudant veram obedientiam, quæ eſt efficaciſſima ad meri-

ritum, & ad hoc homini data, ut mereatur in ea, & eſt maximè lucrativa.

Quarti ſunt homines devotioni dediti ex corde, & caſtigationi corporali pro DEI amore. Iſti ſunt magni meriti; Nam propter caſtigationem corporalem ſunt Martyres, & iſti caſtigatione ipſa triumphant de hoſte & vitiis, ſicut triumphaverunt alii Martyres ſua paſſione. Et quoniam de iſtis magnam ædificationem habet eccleſia, totum computatur eis ad meritum, quidquid proximi eorum bonis exemplis ædificantur: unde tanquam boni negotiatores magnos theſauros meritorum congregant.

Quinti ſunt excellenter contemplativi & elevati mente in Deum, uniti Deo per amorem, dotati peculiariùs familiaritate cum Deo. Iſti tantùm placent Deo, ut eorum vulgaris converſatio accepta ſit DEO, quántum popularium hominum beatorum oratio. Iſti nunquam fraudantur à deſiderio ſuo, ſi quid ex corde deſideraverint à Deo. Item, quibuscunque ſuis votis & deſideriis, gratiam impetrant, hos non contingit finaliter à Deo ſeparari. Item, Deus in talibus majores habet delicias, quàm in cœlo, in ea parte, quòd ipſi in fragili corpore degentes ad tantam perfectionem, promovente gratia, pervenerunt, & adhuc ſunt in con-

continuo conatu & studio proficiendi. Item, de ipsis tota cælestis curia lætatur, pro eò, quòd Dominus in terris tantum in his honorem & gloriam habeat.

Cap. CLXXXII.

De chlamyde misericordiæ, quam Pater Deus dedit Beatæ Virgini.

IN assumptione Beatæ Mariæ Virginis, cùm communicâsset, mox fuit in spiritu, & vidit Matrem Virginem stantem à dextris Filii ejus, & ipsum Dominum stantem, & omnes Sancti Curiæ cælestis stabant. Apparebant quoque tam Filius, quàm Mater, benè personatæ. Pater Deus Virgini beatæ dedit chlamydem pulcherrimam, mira & delectabili varietate distinctam. Eratque chlamys illa amplissima, & est pallium misericordiæ, sub quo omnes ipsa Mater Domini abscondit ab ira DEI, qui ad ipsam confugiunt. Hanc enim dignitatem ei contulit Pater misericordiarum Deus. Quantumcunque hæc chlamys infinitos caperet, tamen adhuc ampliùs restabat ejus latitudo ad capiendum plures: nec coarctabatur ejus capacitas propter multitudinem confugientium ad umbram ejus.

Sed

Sed & justi omnes hac chlamyde operiebantur, non tanquam ab ira, sed confovebantur in gratia, & multiplex influxus gratiæ infundebantur justis ipsius Virginis benedictæ meritis. Varietas chlamydis, quæ diversorum colorum erat, pulchritudine multipartita hoc significat, quôd varia dona & suffragia & justis & peccatoribus, meritis Beatæ Virginis præstantur à Deo. Erat autem chlamys ista, non de materia corruptibili, sed de luce quadam cælesti claritatis indicibilis.

Cap. CLXXXIII.

De corona, quatuor angulos habente, quam Filius Matri dedit.*

* *Cod. habens*

FIlius coronavit eam corona ineffabilis pulchritudinis, quæ in tantum oculos intuentium demulcebat, quòd circumscripta omni pulchritudine gloriæ, DEI visione excepta, sufficeret gaudium & delectatio in hujus Virginis & ejus coronæ aspectu. Nam ipsa corona repræsentabat & significabat Humanitatem Christi, quæ habebat quatuor Angulos.

Primus angulus in fronte significabat gaudium & gloriam Christi, quam habet de humanitate matris: & in hoc quasi in spe-

ſpeculo omnes Sancti in patria vident & cognoſcunt, quantum affectum & amorem DEUS habuit, & habet ad homines.

Secundus angulus coronæ à dextris exprimebat gaudium Matris Virginis & gloriam, quam habet de humanitate Filii aſſumpta ex ſe in unitatem divinæ Perſonæ.

Tertius augulus in latere ſiniſtro exprimebat gaudium & gloriam, quam omnes Sancti habent per beatam Virginem.

Quartus ſive ultimus angulus exprimebat ſuffragia peregrinantium adhuc in via, ſive viventibus * ſuper terram, ſive in purgatorio exiſtentibus, quæ ipſis præſtantur meritis beatæ Virginis Matris Dei: & (ex) angulo quidam radius flammeus & præclarus deſcendere videbatur ſuper terram.

* Ita Cod.

Corona hæc non imminebat capiti ejus, ut caput ejus tangeret, ſed ſejuncta aliquantulum à capite, deſuper eminebat ſicut etiam dictum eſt in viſione prima hujus opuſculi de coronis ſanctorum.

Spiritus Sanctus eam ut Sponſam miro affectu honorabat, ſic ut omnia beneficia, quæ ad invocationem beatæ Virginis ſuper terram hominibus præſtantur,

mi-

miraculum quoque, quæ per beatam Virginem dicuntur fieri, & etiam apparitiones, Spiritus Sanctus ad honorem Virginis operetur.

Cap. CLXXXIV.

De vestibus, quibus vestiuntur omnes ad DEUM pertinentes.

PRimo die post Octavam Beatæ Virginis hæc virgo cùm communicâsset, facta est in spiritu: & ecce coram ea stetit imago puellæ pulcherrimæ, omnino ejusdem dispositionis & formæ, qualis apparuit Beata Virgo in die assumptionis, sicut jam dictum est in priori visione. Sed nunc sine chlamyde & sine corona apparens, ait ad hanc virginem: Me, & amictum meum & ornatum, sicut in patria & gloria vidisti, enarrâsti & exposuisti: Nunc quoque adverte vestitum, in quo tibi mòdò appareo, in quo oportet omnes vestiri, qui ad Filium meum & ad me pertinebunt.

Fuit igitur vestitus ejus tunica viridis coloris, supertunicale rubri coloris, cingulum, quo cingebatur, cœlestis coloris, quasi serico contextum & coopertum aureis & argenteis laminis & lapidibus

pretiosis: fibula aurea in pectore quatuor angulos habens. In superiori augulo erat gemma rubea, in inferiori gemma subobscura, in dextro angulo gemma vario colore distincta, in sinistro gemma lucens, ùt Sol.

Alba tunica viridis erat circumquaque clausa, & manicæ strictæ ad brachia, & clausæ. Et ait virgo beata: hæc tunica significat castitatem. Quòd autem manicæ strictæ sunt ad brachia & clausæ, ita ut nusquam valeat videri caro, & quòd ubique clausa est, ut nec in laciniis * aliqua sit apertura, significat duplicem honestatem, quam debent habere virgines, scilicet in verbis, & in moribus. Unde habentes manicas apertas, ut nuda brachia videri possint, & habentes dissuturam in laciniis, sunt procaces & inverecundæ in verbis, & moribus indisciplinatæ. Et tales ad me non pertinent.

* *Cod. lasciviis. Ita etiam mox infrà.*

Tunica rubea significat affectionem passionis Christi, & etiam castigationem in proprio corpore. Cingulum cœlestis coloris significat desideria cœlestia, quæ vestes has spirituales astringunt ad animam. Vermiculatura auri & argenti & gemmarum in cingulo significat ordinem virtutum variarum, ut in omnibus ordo servetur. Fibula aurea significat charitatem. Quæ fibula conjungit duas partes ca-

capitis, id est, aperturæ illius, qua caput induitur. Sic charitas includit amorem Dei & proximi.

Superior gemma rubea in fibula significat patientiam, inferior subobscura significat displicentiam & contemptum sui ipsius & omnium factorum suorum, scilicet ut homo semper nec se, nec facta sua magni pendat, sed potiùs defectuosa reputet: & hæc est vera humilitas. In dextro angulo gemma varia significat variam misericordiam, & varia opera misericordiæ.

In sinistro angulo gemma alba significat promptitudinem ad opera bona. Et sic oportet vestiri eos, qui ad me pertinent.

Cap. CLXXXV.

De cervicali lato & quadrangulato.

ANte Nativitatem Beatæ Virginis hæc virgo tristabatur, nec poterat consolari, nesciens tamen, quare tristaretur. Et audivit vocem intra se dicentem sibi: *Anima tua conformat se Sanctæ Matri Ecclesiæ, quæ modò in desolatione est, quia caret Capite* * *Apostolico: & hi, qui habent providere de Capite Apostolico, Simoniaca hæresi vitiati sunt in eo, quòd quilibet in electione Apo-*

** Nicolaus IV obiit An. 1292. mense Aprili, post cujus obitum Sedes Rom. vacavit annis duobus & ultra. Hinc quæ hic narrantur, eodem aut sequenti anno acciderunt.*

Apostolici ad suam respicit utilitatem, volens suum amicum præficere, & non quærunt commune bonum, & sunt divisi. Propter quod Dominus iratus est adeò, ut omnia elementa pro Domino irasci videantur. Et hoc probat diuturna jam aëris intemperies, tempestates & pluviæ contra solitum ordinem temporum & consuetudinem perdurantes; & fructus terræ retardantes: hoc etiam innuunt bella & dissensiones, quæ quasi per totam Ecclesiam desæviunt in homines.

Et tunc ipsa cogitavit, si forsan ipsa deberet orare pro tantis malis amovendis. Et ipsa in spiritu facta vidit quasi unum latum cervical quadrangulum, & quadrifario colore distinctum, scilicet rubeo, albo, cœlesti, & glauco. Et dictum est ei, quòd Prælati Ecclesiæ, Episcopi, Abbates, Priores, & alii deberent iram DEI placare, sic ut eleemosynas instituerent in pios usus. Et hoc maximè pertinet ad Episcopos, & hoc significat color cælestis. Secundò dictum est ei, afflictiones debere fieri in jejuniis, vigiliis, disciplinis, & similibus: & hoc maximè deberent facere, qui præsunt Collegiis, cum suis subditis, & hoc significat rubeus color. Tertiò castitatem debere ampliùs à Sacerdotibus custodiri, & hoc significat albus color. Quartò debere ab omnibus subveniri illis miseris, qui tunc propter guerras * essent spoliati & egeni fa-

* *i. e. bella.*

facti, & eorum miseriis compati: & hoc significat color glaucus.

Cap. CLXXXVI.

De oratione Matris Domini pro populo.

POst hanc visionem modicùm, scilicet in die Nativitatis Virginis, facta est super eam manus DOMINI: & vidit in Spiritu Dominum & Matrem DOMINI beatam. Et vidit quasi omnem populum Christianum, quoslibet in suo statu & ordine simul. Et stabant omnes conglomerati & in unum compressi, timore percussi, quasi expectantes super se plagam DOMINI, nec se movebant, nec aliquid loquebantur. Tunc Mater DOMINI benedicta exhibuit se ad orandum pro populo. Cui Dominus ait: *Mater, tu vis orare pro istis. Modò adverte, si aliquis se moveat, & exhibeat ad orandum: modò agas, ut & ipsi orent, & ego propitiabor eis.* Et visum est ei, quòd de singulis statibus parabant se aliqui ad orandum pro statu Ecclesiæ.

Cap. CLXXXVII.

De ſpeculo polito valde & terſo.

* Cod. manus

ALio quoque tempore factâ ſuper eam manu * DOMINI, apparuit coram ea ſpeculum politum valde & terſum, in quo vidit mirabilia DEI magna & multa, de quibus vix ſtillam enarravit, & ſic ait, quia inenarrabilia forent. In intuitu hujus ſpeculi ſpiritus & anima ejus ineffabili conſolatione eſt repleta: & cognovit ibi, quôd, ſicut anima eſt in omnibus membris corporis, & corpus ſenſificat, & quinque ſenſus corporales exercet in corpore: ſic anima rapta in Deum, haurit quinque ſenſibus ſpiritualibus, unde in Deo quieſcat, & ſanctificetur, & vigoretur.

Viſus animæ eſt contemplatio, quâ Deum ſpeculatur, & ei incerta & occulta manifeſtantur. Auditus animæ eſt intelligentia, quâ anima intùs recipit revelationes divinas, & eas absque interprete intelligit. Daniel vidit quædam, quæ non intellexit, ſed Gabriel ei expoſuit. Hic viſum, & non auditum habuit, quando vidit manum ſcribentem: &, quando

in-

intellexit, auditum habuit. Os animæ ſive guſtus eſt guſtare ſuavitatem DEI, & ejus dulcedinem percipere: & hic ſenſus maximè confert vires animæ. Tactus eſt innovatio & transmutatio animæ de gratia in gratiam. Odoratus eſt deſiderium DEI & concupiſcentia DEI. Et hic maximè viget in anima ſpirituali, & diuturnior eſt cæteris. Nam anima non ſemper ſpeculatur Deum, non ſemper revelationes percipit divinas, non ſemper guſtat ſuavitatem DEI, quamdiu eſt in hoc corpore mortali, ſed ſemper poteſt eſſe in deſiderio DEI. Et hoc ſignificatum eſt in Jacob, in quo ſenſus odoratûs magis viguit cæteris. Unde: *ecce odor filii mei, &c.*

In hoc ſpeculo reſplenduerunt infinita multitudo hominum, quos omnes ipſa cognovit, etiam quos nunquam viderat. Quidam plùs aliis reſplenduerunt, & facie clariori, & alii minùs, ſecundùm quod plùs vel minùs erant præditi virtutibus. Quamvis autem omnes in hoc ſpeculo exiſtentes decora & ſplendida facie niteſcerent, tamen interdum quaſi nebula quædam paululum obnubilabat aliquorum facies. Et hæc indignationem animi ſignificabat ſuper deteſtatione delictorum proximi. Quæ indignatio de ingenuitate animi naſcitur, & tamen, cùm

caret affectu piæ compaſſionis, oculos mentis obnubilat, & impedit à contemplatione divina.

Cap. CLXXXVIII.

De diabolo & ſpeculo ejus.

Cumque hoc ſpeculum eſſet ante faciem ejus, diabolus ſtabat à tergo aſpectu terribilis, habens faciem quaſi tauri ſilveſtris cornutam & nigram, oculos ardentes ùt ignis, roſtrum magnum, tenens ſpeculum aliud in manu directè & ex oppoſito prioris ſpeculi, ita ut ipſa in primo ſpeculo, ſcilicet divino, diabolum & ejus ſpeculum, &, quæcunque erant in illius ſpeculo, videret.

Ipſe autem aſpectus diaboli, licèt in ſe eſſet horridus, nullum prorſus ei horrorem poterat immittere: & hoc propter nimium gaudium & conſolationem divinam, & virtutem, quam ſenſerat ex intuitu divini ſpeculi.

Speculum diaboli erat triangulum, & in ipſo diaboli ſpeculo ipſa vidit radicem ſuæ triſtitiæ. Nam ſæpe cor ejus nimia triſtitia gravabatur, & maximè ex eo, quòd fatiſcentibus membris corporis nequibat pro ſuo deſiderio Domino deſervire. Fuit autem radix ſuæ triſtitiæ nimia defatigatio

tio corporalis, quam inciderat ſua culpa ſupra vires ſe exercendo in jejuniis, vigiliis, & aliis exercitiis corporalibus. De qua radice naſcitur ſeptuplex tentatio ſpiritualium vitiorum, ſicut impatientiæ, iræ, &c. quibus diabolus etiam perfectos inquietat.

Dixit quoque, quòd diabolus armatus incedebat contra hominem ex nimia fatigatione corporali ipſius hominis. Fuit igitur diabolus indutus lorica de corio duro & nigro & hiſpido, de lana leni conſiltura in longum dependenti, id eſt, *Zotocht*,* quod ſignificat nimiam auſteritatem corporalem: lana autem lenis ſignificat remiſſionem nimiam debiti rigoris, quæ naſcitur ex nimietate & ex exceſſu rigoris ſuperflui.

* vox Germanica Zoticht

Dixit quoque, quòd diabolus nunquam ceſſat obſervare homines ſpirituales, eis inſidiando: & quoniam non poteſt ſcire, quæ ſunt in corde, ipſe tamen per induſtriam ingenii, quod per naturam acutum habet, cuſtodit exteriores motus & geſtus hominis, ex quibus perpendit interiores animi motus, & ibi ſumit occaſionem tentandi, conflans tentationem vel iræ, vel ſuperbiæ, vel triſtitiæ, &c.

Diabolus etiam magis lætatur ſuper modica tentatione vel peccato veniali homi-

minis sancti, quàm super peccato mortali hominis peccatoris. Quantumcunque potest perturbare hominem justum, & eum impedire, quantumcunque parùm, in cultu DEI, tunc ipse saltat & tripudiat, eò quòd gloriam DEI videtur minuisse & impedivisse. Et, quos videt magis strenuos in DEI servitio & magis conari ad placendum DEO, illos magis nititur impedire.

Cap. CLXXXIX.

De facie humana, in hostia apparente, & de intuitu Salvatoris, quo sibi peccatores attrahit.

ANno DOMINI MCCLXXXXI. * in die omnium sanctorum, cùm vellet communicare, & Missam audiret, Sacerdote elevante Corpus DOMINI, apparuit ei in hostia facies humana miræ pulchritudinis, quæ se vertebat primò versùs populum stantem ad dexteram Sacerdotis celebrantis, sive ad lævam illius faciei, & aliquamdiu illuc respiciebat: & unico & brevi intuitu se vertens ad sinistram Sacerdotis, id est, ad dexteram DOMINI, mox inde faciem avertit. Ipsa autem stabat à Sinistris Sacerdotis, & territa est, ti-

timens, quòd fortè ex indignatione tam subitò ab ipsa faciem avertisset. Cùm autem communicâsset ab eodem Sacerdote, percepta consolatione solita, audivit vocem internam sibi dicentem, hoc est, intellexit Deo sibi inspirante, quòd Dominus diutius respexisset ad dexteram Sacerdotis, id est, ad sinistram Salvatoris, propter peccatores, quos solo intuitu sibi attrahit: & ideo quasi necesse est eos frequentiùs intueri. Quòd verò modicum respexit, & mox avertit ab ea faciem, significat, quòd justos faciliter tenet apud se, & trahit. Quòd autem cum indignatione aliqua visus est faciem avertisse, significat, quòd Deus eidem virgini, & Fratri, suorum secretorum conscio, aliqualiter fuit indignatus, pro eo quòd uterque in gratia visitationis sibi facta negligenter se haberet, & à desiderio divino tepuissent per incuriam, & propter hoc uterque judicio DEI in aliam culpam corruisset, ipsa quidem in nimiam impatientiam lapsa est, ille verò à gradu humilitatis aliqualiter descenderat, & in occupationes superfluas seculares, ita ut interius consolationibus minus potiretur.

Cap. CXC.

De plagatione Christi, & de quinque vulneribus, & de indulgentia.

ALio tempore in ſpiritu vidit multitudinem hominum, qui erant omnes in ſtatu ſalutis : nullus hæreticus, nullus Judæus, nullus in mortali exiſtens, eſt ei oſtenſus,

In cœlo quoque Salvator noſter Chriſtus apparuit plagatus, & de quinque vulneribus ſanguis copiosè fluens recipiebatur in calices à circumſtantibus : & hi calices cum ſanguine mox poſiti videbantur ſuper altaria ſingula in terra juxta homines. Et hæc videns intellexit apertiſſimè, quaſi legeret in codice, quòd indulgentia peccatorum donatur hominibus ſuper terram virtute ſanguinis Salvatoris oblati in ſacrificio altaris : & longè illa eſt major indulgentia, quàm Papalis.

Item, intellexit, quòd indulgentia habetur aliis duabus de cauſis, ex merito ſcilicet paſſionis Martyrum, & ex merito electorum perfectorum, in Eccleſia militante DEO ſtrenuè famulantium. Et ex his quidam ſunt, qui nunquam peccave-

runt

ſunt mortaliter : alii ceciderunt quidem per mortale peccatum, ſed perfectè reſipuerunt per pœnitentiam virtuoſam.

Hoc quoque vidit in ſubjectis figuris, ita ut appareret unus acervus permaximus quaſi cœlum contingens de favo mellis, de quo acervo fluebat liquor melleus in modum fluminis, & inde hauſit, quicunque voluit, & guſtavit. Hoc ſignificat indulgentiam, quæ datur meritô ſanctorum perfectorum. Et ſicut favus mellis dulcedine ſua guſtantem delectat & confortat: Sic ex meritis Sanctorum fluit in Eccleſiam dulcedo devotionis & confortatio ſpiritualis.

Item, apparuit idem ſanguis recenter fluidus in magna copia, & multi accedentes, & de illo ſanguine ſumentes, manibus ſe præliniebant, & ex hoc mutabantur in quandam miram pulchritudinem. In hoc ſignificantur merita Martyrum, unde etiam Eccleſia gratiam percipit indulgentiæ, & pulchrificantur animæ DEO devotæ, & Martyres devoti,

Dixit quoque illos parum percipere indulgentiæ, qui cum parva devotione quærunt eam : item illos, qui habentes res non faciunt eleemoſynam pauperibus.

Cap.

Cap. CXCI.

De influxibus & inundationibus a DEO in Sanctos & econtra, & de triplici amore.

Elevata in ſpiritu vidit cœlum apertum, & Dominum in majeſtate & gloria ſua, & omnes Sanctos cum eo, & influxus ac inundationes à Deo in ſanctos, & refluxus & redundationes à ſanctis in Deum. Hoc eſt abundans influentia Divinitatis in ſanctos, & refluens gratiarum actio à Sanctis in Deum. Et aſpiciens deorſum, viſus eſt ei Mundus quaſi unus globus, & infinita hominum multitudo erat ſuper terram.

In patria cognovit triplicem amorem in electis.

Primus amor eſt amare Deum propter ſe, & vocatur unio amantis cum amato Deo.

Et hic amor eſt in electis in patria: & hic amor eſt tanti pretii apud DEUM, ut, quidquid fiducialiter poſtulat, accipit.

Secundus amor eſt amor proximi, id eſt, amare DEUM in proximo, ipſum pro-

promovendo ad amorem DEI. Et hic amor vocatur adhæsio amantis cum amato Deo: & hic amor valde de propinquo jungit Deum cum proximo.

Tertius amor est propter Deum proximis subvenire corporaliter. Et hic amor vocatur thesauri & divitiæ divinæ, eò quòd homo his operibus misericordiæ thesaurizet sibi apud Deum præmium magnum.

Et vidit secundùm has tres amoris differentias quasi tres radios derivari à Deo in electos, tam in patria, quàm in illos, qui adhuc sunt in via, & hos & illos recipere influentias à Deo secundùm plus & minus.

Cap. CXCII.

De largitate gratuita Christi.

IN nocte Nativitatis DOMINI, ante mediam noctem evigilans sensit divina visitatione se præventam in somnis: & admirans bonitatem DEI, cogitavit, quia ipsa se non præparâsset ad tantam gratiam. Et vox interna ad eam, quasi eam reprehendens: *Tu paupercula,* inquit, *quid cogitas, quid putas, quòd Dominus propter tuam præparationem te visitet? Ipse Dominus sua dona largitur gratuitò, cui vult, quando vult,* &

& *sicut vult*. In hoc ipso cœpit in ea augeri consolatio divina.

Tunc ipsa orabat in corde suo, ut ei Dominus dare vellet spatium persolvendi Deo debitum orationum suarum. Nam, quotienscunque perfundebatur divina consolatione, tunc nihil aliud fere valuit, quàm omnino vacare DEO, eratque ei pœnale, si pro aliqua spiritus consolatione omittere eam oporteret cursum orationum suarum. Igitur Dominus complevit ejus desiderium. Expletis autem orationibus suis pro illa hora, mox cœpit cumulatiùs perfundi consolatione spirituali.

Ex tunc pulsabatur ad matutinum, & ipsa pervenit ad ecclesiam Fratrum; factaque ibi super eam manu DOMINI, intra se rapta in lumen mirificum, apparuit ei parvulus puerulus, intra ejus præcordia jacens verso capite ad dextrum latus ejus: & quoties puer se movit, tunc replebatur semper nova revelatione. Ab hora quoque illa, hoc est, à media nocte usque in sero sequentis diei in istis revelationibus et consolationibus tenebatur, ita ut nec verbum aliquod loqueretur, nec cibum sumeret, nisi in sero unum ovum sorberet. Fuerunt autem revelationes hujusmodi.

Cap.

Cap. CXCIII. et CXCIV.

De partu Beatæ Virginis, quomodo de ea nasceretur Christus, & de Sodomitis.

IN illa luce, in quam assumpta fuerat, apparuit Beata Virgo, antequam pareret, & in ipsa hora partus. Ipsa quoque Beata Virgo faciem habuit valde devotam & plenam gratia: &, cùm ipsa esset clara & lucida ante horam partus, in hora partus multùm clarior apparebat. Sola fuit cùm pareret, excepto, quòd multitudo Angelorum innumerabilis eam & puerum circumdabat obstetricum vice. Alii quidem canebant laudes Deo, alii ministrabant puero & matri ejus. Et, quanquam omnes Angeli luce splendida fulgerent, aliqui tamen tanto splendore radiabant, ut noctis tenebras fugarent. Omnes Angeli ipsum adorabant puerum. Instante horâ partus Beata infusa est tanta suavitate divinæ consolationis super suam capacitatem, ut teneritudinem illius suavitatis ferre non valens deficeret in salutari suo, & impos virium corporis facta fuerit, non præ dolore, sed præ suavitatis excessu. Et

id voluit Deus, ut ipse puer in partus editione, sicut cæteri pueri, super terram poneretur: quod non accidisset, si Virgo benedicta virium compos fuisset.

Præsepe fuit magnum, & Virgo Mater jacuit cum puero in præsepio super fœnum: & tandem superveniens Joseph, puerumque videns, procidit in faciem suam super terram in longum, & adoravit puerum.

In hac quoque revelatione vidit Magos ab Oriente venientes, &, ut ait, quibusdam equis, quales nunquam vidit: unde creduntur fuisse Dromedarii. Quilibet eorum habuit manticam magnam & plenam post tergum in equo: ea quoque, quæ erant victui necessaria, secum deferebant: & stella magna eos antecedebat in aëre satis prope terram. Incedebant autem coronati, & in tredecim diebus de loco suo usque ad puerum pervenerunt. Primus Rex & senior indutus erat per totum albis vestibus, tunica scilicet & super tunicali, & chlamyde, quam chlamydem circumdabat sibi, sicut depinguntur Apostoli. Eodem modo & alii induti erant, excepto, quod secundus sive medius habuit vestes bicolores, id est, colore Jacynthino & nigro permixto, & ultimus habuit vestes rubeas.

Vi-

Vidit quoque Pastores quasi numero centum, pascentes greges suos, nec erant conducti, sed proprios greges pascebant. Ascenderant enim plures ex eis in Bethlehem ad descriptionem, ut profiterentur secundùm edictum Augusti Cæsaris. Duxerant quoque secum greges suos: nam pecunia eorum & divitiæ erant in pecudibus. Et multi eorum illa nocte manebant in campis, ut declinarent tumultum multitudinis, quæ convenerat ad civitatem: & erant omnes viri devoti illi Pastores & Deum timentes. Angelorum quoque multitudo in similitudinem circuli vel coronæ apparuerunt super eos in aëre canentes: *Gloria in excelsis DEO, &c.*

Dixit quoque, quòd omnis creatura, id est, plures ex omnibus, senserunt natum Salvatorem, præter illam creaturam, propter quam factus est homo, quæ non sensit. Hoc de infidelibus Judæis, qui eum ex Scripturæ testimonio agnoscere [noluerunt] intelligendum est. Aqua sensit, quæ in olei dulcedinem versa est. Terra sensit, quæ magis fructifera est facta ex radio stellæ, quæ apparuit: & hoc in partibus illis, ubi apparuit. Ignis agnovit, quia lucem ministravit, noctem illam illuminando. Aër agnovit, qui in illa ho-

ra Nativitatis suavi odore respersus est: Cujus suavitatem non ferentes homines pessimi, qui olim in Sodomis perierunt in fœtore sulphuris & igne, tales, inquam, homines omnes extincti sunt ex suavitate odoris. Hoc fuit primum mirabilium DEI in Nativitate Salvatoris, quòd statim, ut natus est Christus, illi omnes mortui sunt, & omnes jacuerunt proni in facies suas super terram, quasi conantes faciem abscondere ab intolerantia suavitatis.

Cap. CXCV.

De versiculo isto: Cor meum & caro mea &c.

ACcidit quoque ei in sancta Nativitatis nocte, quando eam Dominus prævenisset in benedictionibus dulcedinis suæ in somnis, ùt dictum est suprà, accidit, inquam, ut totum corpus ejus intumesceret, & venæ turgerent, tantamque in anima sensit spiritus dulcedinem, & nihilominus in carne sua tota non libidinosam, sed castam dulcorationem, ut illi utrique delectationi, scilicet animæ & corporis, nullam sciret prorsus delectationem super terram posse comparari, nihilque esse sub cœlo, quod sibi placere posset in comparatione illius gaudii, quo repleba-

tur

tur in illa utraque suavitate animæ & carnis. Ego autem memor fui illius versiculi: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Habuit tamen per totum corpus in juncturis membrorum satis magnum dolorem: & tamen ille dolor, licet magnus, superabatur à magnitudine delectationis & consolationis jam dictæ. Hoc quoque accidit ei omni nocte à Nativitate Salvatoris usque ad octavam Epiphaniæ exclusivè. In sero etiam ultimæ diei ante octavam accidit ei quædam turbatio & impatientia: & ex tunc tumor & dolor, gaudium & delectatio non evenerunt ei.

Cap. CXCVI.

De mutua familiaritate animæ hujus puellæ & Christi, & de patientia.

*SUperveniente tumore mox fuit in extasi, & ibi habuit multas revelationes. Nam semper visum est ei, quòd puerum Jesum haberet in præcordiis, sicut in nocte Nativitatis. In illa extasi manens tanta dulcedine & teneritudine amoris afficiebatur ad dilectum, ut ipsum brachiis stringere videretur. Et introrsus non vocaliter, sed spiritualiter intellectualiter sibi

* *Hinc videntur incipere visiones A.1293*

mutuò familiariter loquebantur, modo Dialogi, ipsa interrogante, & ipso respondente.

Ipse enim intellectualiter quasi ore ad os sibi loquens respondebat, & ea, quæ sibi revelabat, mox ùt frequentiùs in visione spirituali, figuraliter pandebat.

Dixit quoque, quòd interrogationes, quibus interrogabat, ita faciliter & absque omni difficultate & labore meditandi sibi præstò erant, sicut si eas in libro legisset.

Secundum interrogationes suas habuit responsiones, & revelationes, quòd patientia est virtùs Deo summè placens & perfecta. De qua tria dixit, scilicet quòd patientia habet aristas plenas frumento, & omnia opera, quæ facit, reddit Deo grata & fructu plena: & quòd patientia maximè triumphat de Diabolo et ejus tentationibus, & quôd Dominus patientes interna familiaritate & consolatione libenter visitat.

Cap.

Cap. CXCVII.

De humilitate & aliquibus justis, & de Sacerdotibus.

HUmilitas eſt quaſi murus circumdans & vallans civitates: quia virtus humilitatis alia dona & virtutes cuſtodit.

Reſponſum quoque eſt ei, quod ſunt quidam boni, qui in labore corporali propter Dominum exercentur, & iſti multùm placent Deo: tamen, ſi interdum vacarent internis devotionibus, tunc plùs placerent Deo. Iſti, quia non ſperant ſe interiùs viſitari, negligunt vacare & guſtare, quàm ſuavis eſt Dominus. Dominus quoque talibus voluntarius eſſet dare internas conſolationes, ſi ſe ad hoc habilitarent. Alii, qui parùm exteriùs pro Domino laborant corporaliter, & ſunt ſegnes, illis Dominus, non de merito, ſed de gratuita bonitate ſæpe infundit conſolationem ſpiritualem, ut eos ſic manu teneat apud ſe. Primi plùs placent DOMINO, & pro utroque ſtatu demonſtratæ ſunt illi aliquæ perſonæ in viſione.

Dixit quoque, quòd Domino multùm complacet in Sacerdotibus devotè celebrantibus, & quòd tales percipiunt augmentum gratiæ in communione Corporis DOMINI, & crescunt in Domino, et robur et vires eis donantur in perceptione sacratissimæ Eucharistiæ ad agendum fortia et ad patiendum. Et ait, quòd inde est, quòd personæ religiosæ multa possunt in servitio DEI, quæ hominibus secularibus, robustis secundùm carnem impossibilia sunt. Et dictum est ei, quia tota ecclesia ex Missarum celebratione magnam percipit gratiam spiritualem, sed alius plus, alius minus secundùm quòd sunt dispositi.

Cap. CXCVIII.

De maximo Sanctuario Ecclesiæ, quod est os Sacerdotis.

IN cogitationem quoque sibi venit, quod esset majus sanctuarium, quod haberet Ecclesia? Et unde etiam majus haberet suffragium? Et responsum est ei, quòd hoc esset os Sacerdotis. Et causa est reddita: quia os Sacerdotis absolvit pœnitentes, item consecrat os Sacerdotis sacram Eucharistiam, item, os Sacerdotis fre-

frequenter sumit Corpus Christi. Illi autem Sacerdotes, qui abutuntur ore proprio verbis impudicis et inhonestis, et quibuscunque, quæ non decent Sacerdotem, isti summè displicent Domino, et irritant contra se iram DEI.

Cap. CXCIX.

De iis, qui se jactant de bonis, & de mendacio quorundam.

Item dictum est ei de quibusdam Religiosis, qui solum sibi cavent à peccatis mortalibus, et Ordinem suum utcunque servant, et vacant solatiis, et truphiis, et verbis infructuosis, dictum, inquam, est ei, quòd modicùm meliores sunt illo, de quo dictum est: *Quia nec calidus nec frigidus es, incipiam te evomere ex ore meo.*

Item isti, qui post Missam vacant aliquo tempore devotioni, nec statim se effundunt ad exteriora, multùm Deo placent, contrarium verò facientes DEO displicent.

Dixit quoque, quòd, qui se jactant de bonis factis, multum de merito sui laboris perdunt.

Illi autem, qui ostentant verbis vel factis consolationes sibi divinitus factas, mul-

multùm displicent DEO: et contra tales Diabolus accipit potestatem tentandi eos.

Item dictum est ei de mendacio Religiosorum, quantumcunque jocosum sit & leve, quòd maximum damnum facit eis, & præcipuè consuetudo mentiendi.

Tria autem sunt damna, quæ facit peccatum mendacii.

Primum est, quod privat gratia devotionis homines, & Dominus efficitur talibus Religiosis alienus.

Secundum est, quòd, sicut ærugo percutit spicas frumenti, & reddit inanes: sic mendacium in viro religioso perdit fructum laborum suorum.

Tertium, quòd Diabolus accipit robur & potestatem tentandi eos.

Cap. CC.

De dæmonibus & confessione.

VIdit quoquè Dæmones in tanta densitate & multitudine bonos circumdare Religiosos, sicut sunt atomi in radio Solis. Nec tamen ipsos attingunt, sed de propè volitantes, quasi ad unum cubitum observant, si aliquid dicant vel faciant, unde sumant materiam tentandi eos:

eos: &, cùm perpendunt aliqua ſigna impatientiæ, vel ſuperbiæ, vel alterius vitii in aliquo, mox exultantes illud ſuſcipiunt, & in illud ad modum globi conglomerant.

Quaſi lapis de machina projiciatur ad murum alicujus caſtri: ſic in illum impingunt, frequentantes vices, ſicut ſi lapis [poſt lapidem] projiciatur, continuata tentatione: & hoc modica habita actione. Sed mox, ut ille tentatus ad cor revertitur, & pœnitet, ille globus Dæmonum diſſolvitur, & quaſi aquæ diſtillantes cadunt ſuper terram.

Dixit quoque, quòd multum valet aſſidua confeſſio. Sicut enim res aliqua in aquam projecta natans præterfluit & labitur cum aqua ab oculis intuentium: ſic peccatum per confeſſionem à notitia dæmonum.

Cap. CCI.

De lumine veritatis & doctrinæ.

ANte feſtum purificationis Beatæ Virginis ipſa communicavit, & facta in ſpiritu vidit totum Mundum illuſtrari immenſo lumine: & multi erant quaſi cæci in

in hoc lumine, non percipientes hoc lumen. Datumque est ei intelligere, quòd hoc lumen est veritas doctrinæ, & doctrina veritatis, quæ jam totum Mundum perlustravit. Cæci autem non percipientes beneficium luminis sunt reprobi, qui non percipiunt verbum doctrinæ. Doctores verbi DEI fulgebant sicut Sol: aliqui lucebant luce unius Solis, alii duplicata luce Solis fulgebant, aliqui triplicicata luce Solis rutilabant.

Primi sunt Doctores verbi & prædicatores absque opere;

Secundi sunt, qui verbo & opere docent.

Tertii sunt, qui verbo & opere docent, & corde elevato per gratiam Deum desiderant & ferventer amant.

Cap. CCII.

De thesauro universalis matris Ecclesiæ, & de misericordia.

IN die Sanctæ Scholasticæ, cùm audisset Missam, facta super eam manu Domini, fuit in luce magna, & vidit merita & thesaurum universalis Matris Ecclesiæ, ita ut quælibet virtutes & opera virtuosa apparerent in singulis acervis permaximis. Appa-

paruerunt etiam homines boni, qui ad acervos singulos apponebant.

De misericordia sic ait. Apparuit cumulus rubeus perlucidus, qui significat opera misericordiæ universalis Ecclesiæ. Et ait, quòd hi, qui omnibus renunciaverunt propter Deum, majorem partem habuerunt in hoc cumulo. Et ait, quòd valde pretiosus est hic acervus, eò quòd per opera misericordiæ homo mereatur sibi participium omnium meritorum: v. g. cùm largitur devotis, meretur mercedem devotorum: cùm dat patientibus, meretur mercedem patientium. Et sic de aliis.

Cap. CCIII.

De devota oratione, castigatione, humilitate, prædicatione, charitate, castitate, amore & spe.

ALius [apparuit] acervus magnus & cœlestis coloris, perlucidus, & significat devotam orationem. Et ait, quòd iste acervus est maximi meriti & pretiositatis, eò quòd ipsa oratio facit orantem magis Deo devotum, & efficacius impetrat divina beneficia.

Alius

Alius quoque cumulus apparuit perlucidus et varii coloris, & significat castigationem corporalem, quæ fit per abstinentiam, sive quocunque modo carnem affligendo, & solatia carni, quamvis licita, subtrahendo per violentiam.

Alius apparuit cumulus perlucidus & albus, qui volubiliter circuibat cæteros cumulos, & significat humilitatem, quæ custodit cæteras virtutes.

Alius quoque apparuit cumulus flammeus, qui quotidie crescebat, & significat prædicationem verbi DEI. Et ait, quòd cumulus iste maximè erat utilis Ecclesiæ DEI.

Alius acervus apparuit aureus, & quasi Sole desuper irradiante in aurum refulgebat. Ille acervus significat charitatem.

Alius apparuit acervus quasi permixtus variis coloribus & floribus, puta rosis, liliis, violis, & aliis, & significat castitatem. Ad hunc acervum multi patebant aditus & viæ. Et hoc significat multiplices impugnationes & insidias, quas patitur castitas.

Quilibet enim sensus corporis viam habet, & exponit castitatem tentare. Deus verò habebat magnam complacentiam de isto acervo.

Alius

Alius cumulus major omnibus apparuit gemmis & lapidibus pretiosis, intextis auro purissimo, ita ut viderentur cleynodia & jocalia pretiosa, puta, coronæ, fibulæ, annuli, & similia omnia de auro. Corona æternitatem significat, quæ debetur homini ex merito fidei. Fibula significat amorem, quia connectit duo simul, scilicet Deum & hominem, sicut fibula duas partes aperturæ in capitio.

Annulus significat spem, quæ expectat sponsalia consummari. Aurum, in quo erant gemmæ intextæ, significat ipsum Deum.

Cap. CCIV.

De palatio aureo, suspenso in aëre, & de duabus puellis, scilicet, Justitia & Misericordia.

ANno DOMINI MCCLXXXXII. * in die Perpetuæ & Felicitatis sub Missa facta est in spiritu; & vidit quasi palatium & quasi totum aureum, & satis magnum, elevatum, & suspensum in aëre. Erat autem perlucidum & clarum, ita ut, quidquid esset intra palatium, limpidè videretur. Viditque in palatio duas puellas, virgines speciosas valde, quæ erant de auro

Lege: A no MCCXCIII cùm Nicolaus IV. obierit in Apr. A. 1292.

ro fulgido & perlucido indutæ: & una earum habuit duos gladios evaginatos, quos acuebat. Quos cùm acuisset, reliqua puella semper rapiebat gladios acutos de manu illius, & eos frangebat. Quibus fractis iterum prior puella habuit duos gladios, quos acuebat: quibus acutis iterum secunda puella eos rapuit, & fregit. Istas vices etiam alternabant sine cessatione, ut ista semper duos gladios acueret, quos alia frangeret, & quotiens illa fregit, illa iterum duos acueret.

Vidit quoque à terra sursum ad illud palatium dirigi multas vias ex omni parte, & multos & diversos homines ambulantes per vias illas, appropèrantes dona, quæ excipiebat illa puella, quæ gladios frangebat, & ex his ipsa juvabatur, ut prævaleret sodali suæ, quæ gladios acuebat.

Puella gladios acuens fuit vultu sereno, sed serioso: et hæc est DEI Justitia. Altera verò fuit pulchra facie et blanda; et hæc est divina misericordia. Duo gladii acuti sunt severitas divinæ vindictæ; videlicet gladius materialis guerrarum, * et pestilentia mortis corporalis, quam Dominus intentant tam Clericis quàm laicis propter negligentiam Ecclesiæ in eligendo Pastore et Apostolico. Diversæ viæ et

* i, e. bellorum

et homines ambulantes versùs palatium sunt diversi status bonorum, quorum merita suspiciens divina misericordia frangit iram. Unde Psalmus: *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.*

Cap. CCV.

De confessione.

ANno DOMINI MCCLXXXXII. * in prima Dominica Quadragesimæ cùm communicâsset, facta in spiritu vidit quasi universam multitudinem Christianorum. Et multi ex his nigri velut Æthiopes, alii lippis oculis, alii velata facie, alii claris oculis & pulchra facie apparuerunt. Ibant autem ad confessionem, & confitebantur peccata sua Sacerdotibus, tam secularibus quàm Religiosis. Confessores autem boni erant lucidi, & facies eorum lucidiores erant Sole.

* *fortè & hic reponendus Annus MCCXCIII*

Et dictum est ei: *Hi nigri ùt Æthiopes, sunt peccatores, in peccatis & in proposito peccandi perseverantes. Lippis oculis & cæci existentes sunt illi, qui quasi titubant, habentes quidem bonum propositum, sed infirmum, quasi dicerent: libenter volo dimittere peccata, si potero. Hi, ante quorum faciem erat quasi velum, sunt, qui velamine perfectionis exterioris, ùt puta, frequenti confessione & aliis*

signis religiositates, velant interiorem imperfectionem, & minus habent intùs quàm foris de religiositate. Sunt tamen in numero bonorum. Qui autem claris oculis & pulchra facie apparuerunt, sunt illi, qui semper sunt in bono & firmo proposito, non minùs post Pascha, quàm in Quadragesima, & in omni tempore student Deo placere, quorum conscientia semper est nitida.

Hanc quoque visionem, sicut vidit in spiritu, eodem modo per omnia vidit exteriùs oculis, ita ut quidam hominum apparerent in facie nigri, quidam lippis oculis, quidam velum habentes in facie, quidam decora & pulchra facie. Et hanc apparitionem habuit per totam Quadragesimam: & sæpe abscondit faciem suam, habens tædium videre tot facies deformes, sciens, quòd hæc deformitas repræsentaret interiorem deformitatem animæ. Doluit quoque de hac visione, dicens in corde suo: O Domine, quid mihi prodest ista videre? Cui Dominus: *ut cognoscas, in quot & in quantis Deus molestatur, & ei compatiaris.*

Cap. CCVI.

De impatientia & laude humana & Simonia spirituali.

UNa dierum apparuit ei in spiritu Christus albis indutus, & omnibus quasi re-

religiosis existentibus coram se in campo amœno & lato. Et habentibus ante se proventus operum suorum, clamavit voce alta dicens: *Obsecro vos, cavete frugibus vestris à grandine, & ab ærugine, & ab adulterinis messoribus, hoc est, ab impatientia, à laude humana, & à Simonia spirituali, scilicet ne preces vestras & devotiones pro pretio offeratis hominibus.* Et ait: *O vos fideles laboratores mei & conservatores fructuum meorum, omnia mea vestra sunt. O vos veri dilectores mei, vos estis lux in me: &, sicut Patri complacuit in me, ita mihi complacet in vobis. O veri dilectores mei, quorum amor semper currit pro majori gratia habenda sursum, ego me ipsum do vobis. O veri dilectores proximi, ipsum convertendo, vobis communico & communicabo mecum meam potestatem. O veri dilectores proximi, ipsi corporaliter subveniendo, vos constituo super bona & divitias meas.*

Cap. CCVII.

De annuntiatione JESU Christi.

ANno DOMINI MCCLXXXXIII. in annunciatione Dominicæ Incarnationis in festo Beatæ Virginis, cùm communi-

 nicâs-

nicâsset, rapta introrsus in spiritu vidit cor dilatari, & illustrari luce mirifica: & in illa luce cognovit, quoniam, sicut quinque magnalia acciderunt Beatæ Virgini, quando concepit Filium DEI, videlicet:

Primò, quòd Filius DEI formam hominis accepit de sanguine Virginis: Sic anima devota, accipiens dignè Sacram Eucharistiam Dominici corporis, transformatur in imaginem & similitudinem divinæ charitatis.

Secundò, sicut Beata Virgo in conceptione Filii DEI fuit firmata in gratia, ut non posset deinceps peccare: Sic anima devota, communicans dignè Corpori Domini, percipit majus robur & displicentiam contra peccatum.

Tertiò, Beata Virgo in conceptione Filii DEI magnum divini amoris [affectum] habuit. A simili anima devota, recipiendo devotè Corpus DOMINI, inflammatur amore divino.

Quartò, Beata Virgo voluntatem suam divinæ voluntati subdidit omnino & univit, ita ut quidquid deinceps Deus voluit, & ejus, id est, Virginis voluntati beneplacitum fuit. Similiter & anima devota, virtute Sacramenti, per voluntatem unitur Deo, & cum eo concordat.

Quintò, in conceptione Filii DEI plures Angeli deputati sunt ad custodiam Virgi-

gi-

gini Beatæ: Sic animæ devotæ, & dignè communicanti, propter gratiam & reverentiam Sacramenti plures Angeli assistunt, & eam custodiunt, qui omnes gratulantur super fructibus devotionis ejusdem animæ, eam divino conspectui præsentantes.

Item sicut Beata virgo peperit Filium DEI, fructum salutis nostræ: Sic anima devota parit fructum boni operis: &, quemadmodum præstolabantur Angeli [*partum Beatæ Virginis: ita præstolantur*], partum animæ devotæ, fructum nempe boni operis & devotionis, ipsum offerentes ante DEUM.

Cap. CCVIII. & CCIX.

[*De orationibus hujus puellæ, & de vexatione carnis hujus puellæ a spiritu fornicationis, & de vehementi dolore corporis ejus.*

CONsuevit hæc virgo per omnem Quadragesimam dicere quinque millia *Pater noster* & totidem Ave Maria cum totidem veniis * in faciem procidendo, ita quòd in die Parasceve complevit numerum illius orationis: & tunc obtulit sacrificium orationum illarum Salvatori pro gratiarum actione Dominicæ passionis. Et ecce

* *i. e. genuum inflexionibus.*

ecce Angelus Diabolus hoc molestè ferens, quadam die, cum his orationibus DEO gratias illa ageret super tanto beneficio, memorans contumelias&ludibria, dolores & angustias passionis Salvatoris affuit ille hostis antiquus, transfiguratus in Angelum lucis, & dixit: Quid est, quod agis? Quis est, qui non turbetur, si confusiones, quas olim passus est, in faciem ei objiciantur? Cur ergo ei contumelias objicis quotidie? Illa verò cognoscens diaboli fallaciam, accensa animo in fervore spiritus, ait: O nequam, & maligne! Ex hoc nunc amplius & ferventiùs volo redemptori meo gratias agere super tanta sua dignatione. Quod & fecit. Et mox diabolus quasi in faciem percussus & confusus abscessit, relinquens vestigium suæ nequitiæ. Nam mox cœpit vexari caro ejus spiritu fornicationis, qualem nunquam est perpessa, sed DEI gratiâ citò evasit illam passionem.

Cùm autem per plures Quadragesimas pro gratiarum actione hujusmodi sacrificium orationum Domino obtulisset, accidit tandem anno Domini MCCLXXXIII quòd hæc virgo in die Parasceves post Matutinum Fratrum, cui interfuerat, iret ad Sanctum Michaëlem: *ibique etiam interfuit Matutino, & coram altari quodam in ecclesia geniculans, completum numerum

** est Ecclesia Parochialis in urbe Wiennensi.*

rum supradictarum orationum Domino obtulit: & se & quosdam suos amicos, sibi devotione conjunctos, Domino suppliciter commendabat, desiderans in corde suo, & orans ad Dominum, ut, si Dominus exaudisset eam super his, pro quibus ipsa deprecata fuit, ipse Dominus ei daret tale signum, videlicet quòd passionis dolorem & acerbitatem, qualem Dominus ipsa die passionis sustinuisset, ipsa quoque sentiret. Moxque facta est vox ad eam: *cisò propera post altare.* Veniens autem retro altare statim cœpit sentire dolorem vehementissimum per totum corpus suum in membris, & in juncturis membrorum per omnem carnem suam, ita ut non valens se sustentare procideret in terram. Nec eò minùs in corde cruciabatur: immò tantus fuit dolor & acerbitas passionis tam in carne quàm in corde, ut ferventer crederet, quòd deberet spiritum exhalare. Nec reputavit dolorem mortis huic dolori posse comparari. Et, quamvis ejus cruciatus esset maximus tam cordis quàm carnis, non tamen eò minùs in corde & anima suavitate mirifica & inenarrabili replebatur, & lachrymarum devotarum imbre uberrimè et incessanter perfundebatur. Cumque sic expectaret mortem, nec mors ei daretur, ipsa cogitavit de Beata Clara, quomodo illa à Parescevе die usque . . . .

jacuisset quasi exanimis et immobilis! festi- cepit dolere, quod ipsa non esset domi in loco abdito et sibi competenti.

Non enim se poterat aliquo modo movere de loco, in quo jacebat. Unde in corde suo orabat Dominum, quod si mori non deberet ex tanta acerbitate doloris, ut Dominus redderet ei tantas vires, ut posset abire de illo loco, et orationes suas consuetas persolvere.

Valde enim sollicita et diligens semper erat de horis suis dicendis. Et ecce mirabile! in continenti sumpsit vires, et surrexit, et abiit, non tamen dolor usquam recessit.

Cap. CCX.

De invocatione sanguinis Christi, & de dæmone eam trahente &c.

IN die Resurrectionis, cum dixisset Matutinas, coram lecto resedit sic aliqualiter volens requiescere, sed multum tentabatur intrare lectum ad quiescendum, ipsa autem renitebatur, dicens sibi ipsi: non intrabis lectum tuum, nisi prius Dominus resurgat.

Existimabat enim, quod adhuc esset ante horam resurrectionis. A feria enim usque ad illam horam non intraverat suum le-

lectum ad dormiendum. Cumque jam vellet quiescere sic sedendo, tunc affuit Dæmon corporalem ei vim inferens, & trahens, vel portans de loco, in quo sedebat, usque ad ostium cameræ suæ, quasi eam asportare volens. Tunc ipsa cœpit invocare Dominum per resurrectionem & per alias obsecrationes, ut eam eriperet ab inimico. Et audivit vocem dicentem: *dic: Domine Jesu Christe, propter tuum amorem, fervidum sanguinem, id est,* * *Min heize bluet, adjuva me.* Et statim in eadem verba cum magna devotione prorupit, dicens: *Domine Jesu Christe, &c.* Moxque ad hanc obsecrationem hostis discessit, relinquens eam intrò ante ostium cameræ.

* verba Germanica.

Tunc ipsa quasi reverenter impatiens ait ad Dominum: O Domine: quid est, quòd post tot justificationes tuas, quibus me his diebus tam largiter consolari dignatus es, inimico in me tantam licentiam indulsisti? Et vox interna ad ipsam: *hoc*, inquit, *dispensativè factum est, ut innotesceret tibi Dominus, & experimento disceres, quanta virtutis esset sanguis Christi, & invocatio facta per sanguinem Domini Jesu Christi.*

Cap. CCXI.

De fide tripudiante.

POst aliquot dies accidit, ut secum sermocinaret de fide Catholica. Cumque ab invicem recessissemus, ipsa cœpit pie cogitare de fide.

Habuit enim magnam devotionem & complacentiam in fide Christi. Eodem die sub Completorio Fratrum in ecclesia non longè ab altari Beatæ Virginis facta est super eam manus DOMINI. Et ecce apparuit una puella juvenis, pulcherrima facie, coronam auream habens, induta vestitu valde albo, & quasi de serico subtili & longo, & plaudens manibus tripudiabat in gradu superiori circa altare Beatæ Virginis incedendo versùs hanc virginem more pomposo & hilari vultu. Erat quoque circumfusa immenso lumine varii coloris.

Hæc autem virgo mirabatur, quænam esset hæc puella sic exultans & tripudians, & tam superbè incedens. Tunc ei ait puella: ego sum fides tua. Cæteræ virtutes sibi humilitatem conjunctam habent: ego verò singulariter superbiam & gloriam mihi usurpo, quia mea est. Hæc autem non intellexit, quomodo ejus esset superbia. Tunc illa ait: ego superbio & glorior super omnes sectas & errores, quæ putridæ sunt

in

in conſpectu Dei: Sola ego veritate gaudeo, eamque habeo.

Ex hac apparitione iſta virgo, cùm priùs fuiſſet deſolata & triſtis, & corporaliter debilis, mox nimiùm conſolata eſt & exhilarata, & corporaliter confortata.

Cap. CCXII.

De judicio & datione ſpatii pœnitentiæ.

ALio tempore facta in ſpiritu vidit Dominum ſedentem in throno judicii, & ſceptrum aureum in manu ejus, quod in ſuprema parte præacutum erat. Multitudo quoque Religioſorum diverſorum ſtatuum erant coram eo: & habuit inquiſitionem ſuper ſtatu Chriſtianorum. Tunc omnes una voce reſponderunt: quia omnes ſimul declinaverunt, & rebelles facti ſunt divinis mandatis. Tunc Dominus; *quid conſulitis*, inquit, *mihi, quod faciam eis?* Tunc omnes procidentes in facies rogaverunt Dominum, ut miſereretur eorum, & daret eis ſpatium pœnitentiæ. Quibus Dominus ſurgens ait: *exaudivi veſtras preces, eisque tribuo ſpatium pœnitentiæ, ut revertantur à via ſua mala. Cogitavi quidem graviter percutere omnem terram, præcipue Clerum, & poteſtates ſeculares, opprimendo* ab inferioribus. Tamen aliquid faciam, ut omnes habeant occaſionem me invocandi. Similiter & Re-*

* i. e. ut opprimantur, ab inferioribus.

Religionis probatas cogitaverunt affligere & premere per leves personas.

Cap. CCXIII.

De Spiritu Sancto & viis ejus ad hominem.

ANno DOMINI MCCLXXXXIII. in die Pentecostes, quando communicasset, repente repleta est tanta dulcedine spiritus, ut redundaret in carnem ejus, ita ut per totum corpus ejus non esset locus, ubi non sentiret corporaliter inæstimabilem suavitatem. Et in hac suavitate tam corporali quam spirituali permansit per totum diem illum delitiis affluens & gaudio spiritûs. Aliquando rapiebatur extra se, aliquando autem erat compos sui: & sic peregit illum diem, nihil aliud faciens, nec manducans, nec bibens, nec verbum aliquod loquens.

Cumque miraretur Dei bonitatem super tanta dulcedine divinitus infusa animæ suæ, & diffusa in carne sua, accepit modicum mellis, quod habebat penes se in domo, & misit super linguam. Et ait, quod videbatur mel ei amarum in comparatione illius dulcedinis.

Cogitavit quoque in corde suo: O Deus, si scirem vias Spiritus Sancti, quibus venit ad hominem! Tunc facta in spiritu

in-

intellexit, quod in omnibus bonis operibus purè propter Deum factis venit & est Spiritus Sanctus, specialiter tamen venit in melle, in oleo, in aqua, & in igne.

In melle tripliciter, primò, cùm anima infunditur tanta dulcedine, ut redundet in corpus, & caro sentiat inauditam quandam suavitatem.

Secundò, cùm oratio sapit homini, & dulcescit, & verbum DEI, & Missa, & similia, & spiritualia, exercitia.

Tertiò, cùm anima rapitur in extasim præ teneritudine spiritualis dulcedinis, exterioribus sopitis sensibus.

In oleo tripliciter, primò, cùm anima delinita Spiritus Sancti unctione fit patiens in se, & mitescit in adversis, & erga proximum.

Secundò, cùm suave fit ei jugum Domini, & faciliùs tolerat labores & exercitia corporalia * propter Deum. * Cod. corporaliter.

Tertiò, cùm anima fit misericors super miseriis proximi.

In aqua tripliciter, primò in lachrymis compunctionis, secundò in lachrymis cœlestis desiderii & amoris.

In igne tripliciter, primò cùm anima anhelat & fervet ad quævis bona opera, Secundò cùm anima in se accenditur in amore divino. Tertiò cùm illustratur divinitus Spiritus Sancti revelatione.

Cap.

Cap. CCXIV. & CCXV.

De negligentia & punitione illius, & de flamma a Salvatore egrediente.

TErtia feria Pentecoſtes impedita fuit aliquibus caſibus, quòd non poterat implere ritum ſuæ devotionis: & in ſerò triſtis cœpit revolvere in animo, quam infructuoſè illum diem tranſîſſet, & multum ſuper hoc deſolabatur, & ſubitò dolor corporalis immenſus pervaſit omnia membra ejus: De quo non parum conſolabatur, congaudens judicio divino, quaſi Dominus puniret in ea illam negligentiam, & ait: Benedictus es, Domine, quia optimè facis ſumens de me vindictam. Et ſtatim ſuper eam manus DOMINI, & fuit in ſpiritu: & vidit deſurſum deſcendere ante eam turbam magnam hominum, qui erant omnes veſtitu aurato amicti, & cooperti capite quaſi humeralibus aureis, ita ut nihil in eis appareret nudum, niſi facies, erantque facie decori valde, ſed ſerioſi & maturi.

Hac turba diſparente, ſecuta eſt alia ſimiliter deſcendens de cœlo ante faciem ſuam.

Hi erant omnes amicti veſtibus candidis, ſerta rubea de roſis in capitibus eorum,

rum, facie pulcherrimi & jocundi lætitiam mentis facie prætendebant. His disparentibus subsecuta est tertia turba magna. Qui omnes erant amicti vestibus rubris & fulgidis, & lucidioribus super Solem: & in circuitu hujus turbæ apparuerunt multi de duabus præcedentibus turbis, videlicet alii aureis vestibus, & alii candidis induti. In medio autem hujus turbæ apparuit Salvator noster JESUS CHRISTUS, pulcherrimus & amœnissimus aspectu, et omnino nudus, manibus mediocriter elevatis et palmis extensis in similitudinem Sacerdotis stantis in altari: et cicatrices vulnerum patentes, et apertæ et lucidissimæ, maximam jucunditatem intuentibus ingerebant.

Erat quoque ipse totus pulcherrimus et ambilis aspectu, ut omnium pulchritudinem vinceret ipsius aspectus.

Egrediebatur quoque in circuitu et per gyrum de ipso Salvatore flamma aurea in modum radiorum acutorum: et hi radii dispergebantur, ita ut aliqui dirigerentur sursum in cœlum, alii deorsum per centrum terræ, et alii diffundebantur super terram in homines. Ipsa autem de his omnibus nihil intellexit, donec radiolus flammæ pectus ejus penetrans inflammavit cor ejus inæstimabiliter in amore divino, & illustravit. Tunc primum

visa

visa intellexit, & dilatato mentis sinu vidit omnes fines Orbis terræ, & homines innumerabiles, sed non nisi Christianos. Illi quoque radii flammarum penetrabant homines, ita ut multi uno radio penetrarentur, & aliquando singuli de multis radiis pluribus. Ita quoque flamma dispertita diffundebatur in homines quadriformiter, scilicet per verticem capitis, per os, per aures, per pectus. Et aliqui homines omnibus his quatuor modis recipiebant illam flammam, aliqui verò aliquibus modis & non omnibus, aliqui verò nullo modo recipiebant illam.

Intellexit, quoque, quòd hæc flamma est gratia Spiritus Sancti, sive Spiritus Sanctus, qui â Filio procedit. Flamma sursum ascendens significat gratiam, quâ replentur omnes electi in patria. Flamma terram penetrans significat gratiam, quæ est visitans in purgatorio electos, Flamma diffusa super terram in homines significat gratiam diffusam in bonos homines adhuc degentes super terram. Flamma ingrediens per verticem significat gratiam, elevantem mentem ad superna, & animam dulcorantem dulcedine divinæ consolationis. Flamma per aures transiens significat gratiam Sancti Spiritus per verbum prædicationis infusam homini, & animam consolantem. Flamma

na vero per os infusa significat gratiam infusam homini per orationem, quæ sapidam facit orationem, & devotionem generat. Flamma penetrans per pectus significat gratiam Spiritus Sancti inflammantem cor hominis ad amorem DEI, & illuminantem intellectum. Ipsa enim nihil horum, quæ vidit, intellexit, antequam ipsa acciperet hanc flammam per pectus ingredientem, qua percepta anima mox clarè omnia novit.

Intellexit quoque, quòd non suis meritis eam Dominus visitâsset: nam præcedenti die minùs diligenter expleverat servitium divinum.

Intellexit quoque, quòd multùm placet Domino, & præparat animam ad divinam consolationem humiliatio & contritio spiritus; nam ipsa multùm se afflixerat in animo super negligentia diei præteritæ infructuosè.

Cap. CCXVI.

De nativitate Beati Johannis Baptistæ & de statu ejus in deserto.

IN nocte Sancti Johannis Baptistæ facta in spiritu, vidit Beatum Johannem Baptistam, ùt recenter natum, & Beatam Ma-

riam Virginem flexis genibus ante Sanctam Elizabeth, & suscipientem puerum in manibus, obstetricis vice. Quæ surgens stetit ante Sanctam Elizabeth matrem pueri, & ait: ecce puer tuus. Ista quoque virgo stabat juxta virginem Matrem DOMINI, & statim hæc visio disparuit.

Et post modicum, cùm vellet vacare iterum contemplationi, facta in spiritu vidit B. Johannem Baptistam in deserto, ùt jam adultum, flexis genibus & junctis palmis orantem. Erat autem Johannes robusti corporis, capillos habens fuscos & hispidos, faciem seriosam, sed amabilem & formosam, barbam habens densam sed non longam, tunica unica inductus brevi modicum infra genua, manicæ erant ei amplæ sed breves, ita ut bene in latitudine unius palmi brachia nuda essent. Tunica erat hispida & colorata quasi fusco & rubeo colore, similis* mixtis. De eadem manerie* fuit circumdatus alia veste super tunicam: pedes & crura nuda erant.

f. pilis mixtis.

i. e. ejusdem generis seu modi.

Cap. CCXVII.

De arboribus, in quibus exprimebantur merita cujuslibet.

Apparuerunt quoque in deserto arbores generosæ, circa quas ibat S. Johannes, in quibus merita & virtutes ipsius significantur.

Ex opposito deserti apparuit campus spatiosus valde, in quo fuit multitudo hominum, etiam eorum, quos ipsa cognovit: quorum quilibet habuit easdem* juxta se pertinentes, quas habuit B. Johannes: in quibus arboribus exprimebantur merita cujuslibet.

*i. e. arbores

Erat ibi cedrus proceræ altitudinis, quæ significat intensum studium & serium ad quælibet bona exercitia virtutum cum intentione pura: hoc enim hominem multùm exaltat apud Dominum & imputribilem facit. Fuit ibi quoque palma, quæ significat castitatem: quæ palma diu est sterilis, & tandem post multos dies vel annos parit dulces fructus. Sic est de castitate, quæ sterilis est carne, & dulcem fructum parit in æternitate.

Fuerunt ibi rosæ, quæ significant opera pietatis: quæ tamen non sunt sublevatæ

tæ à terra, & significant homines quidem bonos, sed adhuc circa terrenos actus occupatos, de quibus tanquam de spinis faciunt opera pietatis, tanquam rosæ bonum odorem spargentes. Fuerunt etiam ibi violæ, quæ juxta terram & versùs terram vultu demisso significant humilitatem cum timore.

Cap. CCXVIIII.

De ecclesia quadam, in qua Beatus Johannes Evangelista prædicavit.

E regione quoque hujus apparitionis apparuit una ecclesia, quam frequentabat multitudo hominum. Hæc quoque Virgo cum cæteris ad eandem ecclesiam pergebat. Cumque intrâsset, vidit B. Johannem Evangelistam pontificalibus indutum et infulatum stantem in altari cum Ministris, Diacono scilicet & Subdiacono, & Missam celebrantem. Jamque processum erat in Missa usque post Evangelium, quando hæc virgo Ecclesiam intravit, & Beatus Johannes prædicabat. Inter cætera hæc docuit: *Amici Dei debent habere magnam fiduciam in Domino, & complacentiam super omnibus operibus Dei: & si Dominus totum mundum abyssaret, non deberet Deo devotus super hoc contra Deum moveri,*

ri, quemadmodum Beati in patria. Item: *Dominus & Salvator meus dixit mihi & fratribus meis:* ite in mundum, in quo pressuram habebitis.

Ego autem dico vobis, fugite Mundum & conversationem secularium: quia eorum conversatio est impedimentum gratiæ. Item: *gratiam Dei non accipiatis in vacuum, & ne otiemini, sed secundùm gratiam acceptam operemini. Nam multa aufert otiositas bonorum, qui sunt in gratia. Nam honor Deo subtrahitur, & gaudium electis in patria, ab his, qui gratiam acceptam negligunt: & ipsis etiam gratia propter negligentiam suam subtrahitur & profectus gratiæ.*

Cap. CCXIX.

De diversis Sacerdotibus celebrantibus.

UNa die communicavit hæc virgo cum timore magno. Timuit enim, ne nimis sæpe communicaret. Et cogitavit in corde, si Dominus eam non consolaretur more solito, quòd tunc nollet ita sæpe communicare. Communicavit quidem omni septimana semel: & solita erat mira consolatione spiritus infundi. Cumque communicâsset, mox spiritus & anima ejus accensa est divino igne suaviter urente, ut corpus ejus totum inardesceret.

Repleta itaque inæstimabili consola-

tione cogitavit, si deberet abstinere à communione tam frequenti? Et ecce mox facta est in extasi, & in immenso lumine, & vidit multos Religiosos Sacerdotes indutos ad Missas celebrandas. Et quosdam vidit circumdari nube obscura, & intellexit, quòd isti celebrabant mala conscientia: quia, cùm essent in aliquibus fœditatibus peccatorum, ob hoc celebrabant, ut tollerent aliis de suis cordibus suspicionem malam, ne de peccato suspecti haberentur. Et hinc magis sic celebrando peccabant, quàm priora peccata committendo.

Alios vidit luce circumfundi. Et hi fuerunt, qui pura conscientia & dispositione congrua præcedente celebrabant; & merebantur sibi augmentum gratiæ, & non solùm sibi, verùm etiam omnibus, qui sunt in Ecclesia DEI absque mortali. Illis quoque Religiosis, qui ad palliandum sua peccata celebrabant circumdati nube obscura, illis, inquam, erat istorum bonorum Sacerdotum Sacrificium pro clypeo contra iram DEI, quam meruerant. Ista itaque vidit in lumine subitò disparente, & quasi in transitu brevi.

Cap. CCXX.

De quinquepertitis hominibus, corpus Dominicum sumentibus.

POst hæc in se quiescens, non dormiens, audivit vocem quasi legentis & dicentis: *in quinquepertita differentia sunt homines boni Corpus Dominicum sumentes.*

Primi, qui semel in anno secundùm statuta Ecclesiæ jejunantes & confitentes peccata sua communicant, scilicet in Paschate: & hi sunt membra Ecclesiæ.

Alii sunt, qui communicant ex affectu quidem devotionis sæpius, sed non se laboribus & exercitiis spiritualibus, puta jejuniis, orationibus, genuflexionibus & vigiliis, uti expediret, ad tantum Sacramentum præparaverunt: illi quoque de hoc fuerunt reprehensi.

Alii sunt, qui non ex affectu sufficientis devotionis, sed exemplo aliorum, qui sæpe communicant, ipsi cogitant apud se: ista persona communicat tam sæpe, ego quoque etiam volo & possum communicare: nec se sufficienter præparant, confitentes, quòd æquè sæpe possint communicare, nescientes, quanto studio & diligentia illi se præparaverint ad Communionem. Isti fuerunt reprehensi, quòd essent tanquam officiales vel coloni, offerentes fructum non tempestivum Domino suo.

Alii sæpe communicant cum omni timore, & cum studio & exercitio omnium membrorum suorum se præparant pro viribus suis, oculos lachrymis rigantes, auribus audientes verbum Dei & devotionis, & ea ad memoriam revocantes ad devotionem excitandam: manibus & pedibus & toto corpore in faciem super humum se sternentes, & ore & lingua misericordiam Dei invocantes, student se præparare ad tantum Sacramentum.

Nam ita debet fieri. Hi sunt filii, & merentur in illius sacrosancti Corporis perceptione à Domino mirabiliter consolari. *

* *Quinta differentia non comparet in codice*

Et dixit, quòd præcipuum esset in præparatione ad tantum Sacramentum timor, videlicet, ut, quantumcunque in aliis exercitiis quis se præparaverit, tamen semper cum timore accedat.

Cap. CCXXI. & CCXXII.

De assumptione animæ & corporis Beatæ Virginis, & de indulgentia Ecclesiæ, & de turba distincta in septem ordines Beatorum.

IN festo Assumptionis Virginis gloriosæ hæc Virgo communicavit, & facta in spiritu vidit animam Beatæ Virginis assumi in gloria magna à Deo Patre sibi ipsi in honorem, & cùm ea erat turba magna candidatorum. Et intellexit, quòd omnes hi sunt, qui

qui nunquam mortaliter peccaverunt, & cum magno studio servierunt Domino. Eorum meritis Sancta Mater ecclesia habet thesaurum indulgentiæ.

Secundò apparuit Beata Virgo, assumpto corpore, superinduta tunica rubra & pallio immensæ amplitudinis, subtus quòd habebant omnes salvandi refugium.

Filius ejus, Christus Dominus, cum magna reverentia suscipiens levavit eam à dextris ejus in solio miræ pulchritudinis, & coronam super caput ejus posuit. Apparuit quoque cum ea turba longè major, quàm prima, utriusque sexus. Et hi sunt, qui olim in mortali fuerunt, sed conversi in strenua pœnitentia Domino serviunt. Et omnes hos adoptavit sibi Dominus in filios. Et hæc turba distincta fuit in septem ordines.

Primi fuerunt omnes virgines, qui licèt aliquibus peccatis fuissent aliquando involuti mortalibus, tamen virginitatem carnis servaverant incorruptam.

Secundi erant excellenter pœnitentes, de quibus Dominus magnam habuit complacentiam, & coram omni frequentia cœlestis curiæ gloriabatur de ipsis, dicens: *Ecce hi quondam adversarii mei, quàm longè tunc, quàm propè modò!* Domino quoque adeò beneplacitum est in eis, ut eorum peccata non solùm dimissa sunt eis, verùm

etiam in gloriam & decorem eis cedant, eò quòd ferventer pœnituerint, & post suam conversionem in amore DEI profecerint.

Tertii sunt prædicatores verbi DEI. Viditque ibi quendam suum amicum Religiosum, qui habebat officium prædicationis, sed modicum fructum faciebat propter ariditatem linguæ, libenter tamen & ferventer prædicabat. De hoc intellexit hæc virgo, quòd deberet habere præmium de sua prædicatione cum Beato Jacobo, qui paucos in vita sua prædicando convertit, & tamen multùm circuivit prædicando verbum DEI.

Quarta turba fuit bonorum Prælatorum, qui in justitia præsunt: & hi sunt magni meriti apud Dominum.

Quinti fuerunt devoti, contemplationi & devotioni vacantes, & Deo continuè intendentes.

Sexti sunt patientes in adversis.

Septimi sunt ferventes in omni bono opere, & avidi ad omne bonum, &, quantumcunque boni fecerint, parum eis esse videtur.

Hi omnes simul in modum coronæ & choreæ circuibant quasi tripudiantes thronum Beatæ Virginis armato modo nunc introeuntes, nunc exeuntes, ita ut modò illi, modò isti, magis appropinquarent Beatæ Virgini. Tunc ille suus amicus, quotiescunque appropinquabat Filio & Matri ejus,

ejus, alloquebatur Dominum, dicens *primò sic*: O Domine cognitor cordium & occultorum, tu scis, si possem omnes homines verbo & opere ad tuum amorem convertere, ego libenter facerem. *Secundò* ait: Domine, quid me vis facere? Cui Dominus: *Maneas*, inquit, *sicut tu es: Sis quoque patiens, & humilia te, quantum vales: & quoties te per patientiam presseris & humiliaveris, tantum meriti habebis: & quoties te patientiâ viceris, tantum meriti habes, ac si unam animam converteres.* *Tertio* ait: O Domine, tu nosti: quòd libenter *optimam* haberem; hoc est, gratiam contemplationis & tuæ peculiaris dilectionis. Cui Dominus: *ad hanc partem pertingere non poteris, nisi te ipsum obliviscaris.*

Tertio suscepta fuit Beata Virgo tanquam sponsa à Spiritu Sancto, & cum ea turba copiosa, expectantes dona recipere tanquam in nuptiis regalibus. Et hi erant afflicti semicinctiis & vilibus indumentis, & significant eos, qui erant in peccatis, sed aliqua obsequia Beatæ Virgini facientes sperabant ipsius meritis DEI gratiam se percepturos.

Cap. CCXXIII.

De Angelis.

ANno DOMINI MCCLXXXXII. * in festo S. Michaëlis, cum communicâsset, rapta

* *Videtur leg. 1293.*

rapta in spiritu in mirificum lumen fuit, in quo apparuit una sphæra magna, luminosa per omnia, & pervia lucis: in qua sphæra omnes Angeli beati, & animæ justorum in patria videbantur ei esse: & major videbatur esse numerus Angelorum quàm animarum. Merita quoque justorum, adhuc in corpore viventium, apparuerunt omnia in Domino, quasi quoddam depositum, & eorundem hominum similitudines.

De illa sphæra descendebat quidam radius luminosus magnus ad modum stratæ regiæ, benè tritæ. Quæ quidem strata erant quadripertita, videlicet colore aureo, albo, rubeo, & jacynthino distincta, eratque illa strata miræ pulchritudinis. In quo radio seu strata Angeli descendebant ad homines, & ascendebant ad Deum. Incedebant autem in quatuor turbis quasi in quadrivio secundùm distinctionem stratæ. Igitur alii in via aurea, alii in parte alba, alii in parte rubea, alii in parte jacynthina, sed major multitudo in parte rubea erat.

Intellexit quoque hæc virgo, quòd Angeli, qui descendebant in semita aurea, mittebantur ad homines in amore DEI ferventes excellenter. Qui in alba semita, mittebantur ad homines propter Deum patientes adversa, & castigantes semetipsos in

in pœnitentiæ laboribus. Qui in jacynthina semita, mittebantur ad homines contemplativos, & vacantes cœlestium contemplationi.

Offerebant quoque puritatem conscientiæ & alia opera facta ex pura conscientia ante conspectum Dei.

Hoc Quadrivium non pertingebat ad illos, qui erant in mortali peccato constituti, sed suprà ante ipsos Angeli prætеribant. Dixit etiam, quòd Angeli, custodes hominum peccatorum, desuper ipsos in aëre erant in modum circuli vel coronæ, ipsos cingentes vel protegentes ab incursu Dæmonum.

Cap. CCXXIV.

De Sacramento Altaris.

INtellexit quoque de Sacramento Altaris, quomodo gratissimum est Deo, & quantæ virtutis sit, & quomodo divina influentia operatur in ipsis Sacerdotibus & gratiam gratiæ, & non solùm ipsis, sed etiam omnibus Christi fidelibus.

De Angelis quoque dixit, quòd, qui mittebantur ad homines, erant alati candidissimis & perlucidis alis.

Quidam

Quidam verò non mittebantur, sed in Deo semper & Deo astiterunt, & hi non erant alati.

Post istam sphæram vidit locum pœnarum horribilem: unde ignis teter valde erumpebat.

De se quoque ait, quòd hæc vidit tam familiariter, ac si præsens ibi foret in anima, nec advertit, nec sensit aliquo modo se alligatam corpori.

Dixit quoque, quia intellexit, tanquam ei indubitanter promitteretur, ut, quidquid ibi à Domino postulâsset, impetraret. & quæcunque tunc ibi desideravit anima ejus, postea impleta sunt.

Hunc quoque raptum & excessum dixit sibi raró accidere, nisi in Festivitatibus: & quando communionem Sacri Corporis Dominici acciperet, tunc sæpe rapiebatur in extasim, ita quòd nesciebat, utrum esset in corpore, an extra corpus. Aliis autem temporibus raró fuit dies naturalis, quo non visitaretur aliquo excessu excitata, sed tamen sensit benè in corpore se manere, & intrinsecus dilatato mentis sinu illuminabatur, & arcana ei pandebantur.

Cap.

Cap. CCXXV.

De sessionibus pauperum & divitum, & prædicatorum diversorum.

POst Octavam Beati Francisci audivit sermonem, & facta est ibi manus DOMINI super eam in lumine magno, & vidit pauperes & divites intrare locum paratum convivio. Pauperes autem sederunt in loco eminentiori & digniori super divites: nec de hoc aliquis habuit displicentiam, sed potiùs placitum fuit omnibus, quoniam sic requirebat justitia, quam omnes diligebant. Disparente illa visione ad se reversa est. Et post modicum tempus iterum facta in extasi vidit iterum quasi convivium paratum, in quo erat multitudo prædicantium. Et erant induti vestibus pretiosis, alii candidis, alii aureis, alii rubeis, & aliqui his omnibus induti erant: & sederunt alii in eminentiori loco, alii in inferiori, secundùm cujuslibet dignitatem. Et vidit & intellexit, multos simplices prædicatores & parvæ reputationis præferri solemnibus prædicatoribus: & hoc ideo, quia in fervore magno & pura inten-

tentione verbum DEI prædicant, quamvis tantum non faciunt fructum in prædicatione.

Dixit quoque, quòd boatus & gesticulationes aliquorum prædicatorum nullius reputationis apud Deum sint, quia cum vanitate fiunt. Et dixit, quòd plerique famosi prædicatores ex hac vanitate merentur ruinam, & cadunt à Domino: quia adulterantur verbum DEI, propter vanitatem & laudem hominum prædicantes, & gloriantes in prædicatione sua.

Deinde iterum reversa est ad se: & hoc totum sub eodem sermone. Et post pusillum iterum facta in spiritu vidit iterum convivium paratum permagnificum, & majus prioribus duobus.

Eratque ibi multitudo hominum, qui erant omnes induti uniformi veste fulgida & perlucida: & Dominus erat etiam indutus eadem veste, qui erant inter eos & Dominus locavit singulos secundùm dignitatem suam. Et intellexit, quòd hi erant, qui propter Deum tolerant voluntariè passiones, & incommoda temporaliter cum Domino.

Cap.

Cap. CCXXVI.

De prædicatione Domini.

UNa vice, facta in extasi & rapta in lumen immensum, vidit Dominum indutum pontificalibus. Casula erat de auro purissimo, & infula mira varietate decorata, & coram ipso erant Religiosi sedentes de qualibet professione. Et Dominus ipsis prædicabat dicens: *Qui perfecte omnia derelinquunt, solatia terrena & consolationes, solùm mihi inhærentes, ego his præ cæteris dabo quinque.*

Primò securitatem de mea misericordia, ut securè, quidquid volunt, petant, & ego exaudiam.

*Secundò utiliores eos faciam Ecclesiæ meæ, & reconciliatores, id est, Suæner * inter Deum & peccatores.*

* *vox Germanica* Söhner.

Tertiò dabo eis quotidianam innovationem gratiæ & consolationem spiritualis dulcedinis.

Quartò, quòd in omni bono tædium non habebunt, & volabunt in fervore & in bono opere.

Quintò Angeli & tota Curia cælestis in ipsis habet complacentiam præ cæteris.

Et Dominus de quolibet vocavit aliquos, locans illos in altiori gradu præ aliis.

Nam alii omnes residebant in terra. Et isti fuerunt, qui his quinque donis erant digni.

Tunc surrexit unus ex aliis, & ait: Domine, quid autem dabis illis, qui tibi serviunt, licèt omnino consolationes terrenas non deserant? Ad quem Dominus: *Cùm fuerint levitates, quas sic contrahunt, purgatæ per ignem, suscipiam eos.* Et tandem Dominus sermonem suum benignè conclusit, dicens: *Filii, nolite turbari, & non diffidatis propter duritiam verborum meorum: quoniam, quandocunque vos ex corde ingemueritis super vestris defectibus, ego ignosco vobis.*

Cap. CCXXVII. & CCXXVIII.

De quodam Fratre diligente Sanctam Agnetem, & de lachryma fusa in charitate.

Hinc videntur incipere visiones A. 1294.

* IN die Sanctæ Agnetis accidit, ut unus bonus Frater, nomine Erlolfus moreretur, qui fuit famosus & notus in sanctitate, qui in singulari reverentia & devotione venerabatur Beatam Agnetem. Fertur

tur enim, quòd in die Agnetis fuit natus, & in ipſius die intravit Ordinem Fratrum Minorum, & tandem in ipſius Beatæ Virginis feſto manè, cùm eſſet incepta Miſſa publicá, migravit ad Dominum.

Hunc Fratrem hæc virgo, quæ ſupradictas revelationes habuit, propter ipſius Fratris dicti Erlolfi devotionem & ſanctitatem multùm in Domino dilexit. Hæc virgo ſtatim audita morte Fratris hujus. cœpit amarè flere, & per totam diem dolore & lachrymis ſe afflixit, nec ſe valuit continere usque ad noctem. Cumque poſt tantam defatigationem requieſcere vellet, ſenſit quaſi manum ſe tangentem, & vocem dicentem ſibi : *dilecta mea*, *reſpice.*

Cumque illa reſpiceret, vidit dictum Fratrem Erlolfum cum ingenti turba virginum quaſi choream ducentem, & in manu & latere ipſius Fratris Beatam Agnetem, quam in vita mortali adhuc exiſtens tantùm dilexerat, ut ſemper in ſermonibus ſuis vel communibus collationibus de ipſa ſermocinaretur. Et poſt hanc virgines vidit innumeras cum dicto Fratre Erlolfo, quæ erant omnes coronis aureis coronatæ, ſed nudæ: & ipſe unà cum illis etiam nudus & coronatus apparuit. Illa quoque nuditas non ſolùm non erat indecens, vel faſtidium intulit oculis in-

tuentis, ſed magnam placentiam, decentiam & lætitiam cordi ipſius virginis præbuit.

Tunc ait Frater ad virginem, cui apparuit: ego ſum Frater *Erenvol*,* & nunc non dicor Erlolfus, ſed *Erenvol.*

* *vox Germanica, ſignificans plenum honoribus.*

Tunc quæſivit dicta virgo, ſi in aliqua pœna fuiſſet? Cui Frater ait: ab illa hora, quâ egreſſa eſt anima mea de corpore, fui usque ad horam tertiam in quodam igne tam claro & lucido, ut, ſi omnes ſtellæ & ſingulæ Firmamenti micarent ſicut Sol, non vincerent hujus ignis claritatem.

Fuit quoque idem ignis ita fervens, ſicut ſi omnis ignis ſuper terram fuiſſet in unum congregatus: eratque ita ſpatioſus, ſicut viridarium quadrangulum, quod eſt in ambitu clauſtri Fratrum. Et adjecit: Fratres, inquiens, me valenter juverunt in Miſſis & orationibus ſuis, quòd evaſi locum pœnarum. Et tu, dilecta mea, tuis lachrymis præſtitiſti mihi refrigerium contra incendium ignis. Nam una lachryma fuſa ex fervida charitate, tantum præſtat indulgentiam pœnarum & ampliùs, quàm decem annorum pœnæ* teſtante Beato Auguſtino, qui dicit: *O lachryma, quanta eſt tua potentia? Vincis invincibilem, ligas omnipotentem, plùs vales, quàm decem anni purgatoriales.*

* *Cod. pœnarum.*

Tunc

Tunc hæc virgo ait: ubi erat Beata Agnes cum ſuis ſodalibus medio tempore, quô eratis in pœna? Cui ait: circumdederant locum pœnarum, me expectantes.

Tunc hæc virgo: quomodo poterant, inquit, ſuſtinere, in ipſarum præſentia vos ſic torqueri? Cui ille: absque turbatione, inquit, me viderunt puniri, quia hoc exigebat DEI juſtitia. In illo igne, tanquam piſcis in lacu fluit & refluit, ita ego natabam, nec valebam exire, divina juſtitia me detinente. Nunc verò in ſocietate ſum harum omnium, & cum potioribus ſublimiori potior dignitate. Cui virgo: quomodo, inquit, hoc factum eſt, cùm iſtæ ſunt Martyres? Cui ille: quid dicis, inquit.

Ego triginta ſeptem annis paſſus ſum Martyrium, vivens ſub obedientia: hæ autem una die, vel modicum plùs, ſuum Martyrium compleverunt.

Tunc hæc virgo interrogavit de ſtatu Ordinis & merito, cujus videlicet meriti eſſet Ordo ſuus, in quo ipſe Deo ſervierat? Cui Frater ait: in ſublimiori dignitate, inquit, ſunt apud Deum & honore omnes Fratres minores, qui ſervant in vivendo Ordinem & Regulam Minorum, præſertim propter paupertatem & obedientiam hujus Ordinis.

Tunc interrogavit de Fratre Syfrido Coufario, qui fuerat collega dicti Fratris Erlolfi in infirmitate. Cui dixit: ipse in brevi me sequetur, & transibit absque pœna, si tamen recognoverit culpam suam in hoc, quòd per impatientiam molestavit suos servitores. Sed non perveniet ad tantam gloriam, ad quantam ego perveni, eò quòd non tam diu laboravit in servitio, sicut ego.

Ista virgo dixit mihi de Fratre Erlolfo, cùm adhuc ipse viveret, quòd ipsa semper impetrâsset apud B. Agnetem, de quocunque peteretur illud per Fratrem Erlolfum.

Cap. CCXXIX.

De duobus impedimentis in religionibus.

UNa vice, facta in spiritu vidit Dominum Jesum Christum albis indutum vestibus, scilicet Sacerdotalibus præter casulam: stabatque ipse Dominus in uno colle, quam ambiebant duo fossata.* Apparuitque coram eo in planitie multitudo Religiosorum.

*id est: fossæ.

Dominus autem utraque manu extenta vocabat eos, & innuebat, ut festinarent

rent venire ad se. Cumque illi festinarent in veniendo, & ad fossata venissent, ruebant in fossata, alii profundiùs, alii minùs profundè, & alii se faciliùs explicaverunt de fossatis, alii verò difficulter, ita ut plures super eos transirent.

Intellexit autem, quòd hæc duo fossata significant duo in religiosis impedidimenta, quæ impediunt expeditum processum ad DOMINUM, scilicet torporem & negligentiam in servitio Dei, & linguæ laxationem. In his omnes offendunt, sed alii plùs, alii minùs. Ad se autem venientibus utraque manu largitus est Dominus munera, scilicet augmentum gratiæ in se, & gratiam ædificandi proximum, & securitatem.

Cap. CCXXX.

De displicentia DEI in hominibus.

IN Purificatione communicavit se, & percepta consueta consolatione spiritus, post Missam publicam Fratrum desiderabat ire & visitare Ecclesias per civitatem propter indulgentiam, propter quam semper fuit sollicita. Unde accidit, ut sic eundo corporaliter fatigata, minùs spiritualem sentiret consolationem, quam abun-

abundanter ei Dominus dabat in die, quando communicavit. Reversa tandèm ad ecclesiam Fratrum visitavit altaria singula more solito ea deosculando, nec percepit ibi suavitatem odoris, quam semper Dominus ei solitus erat dare de illis altaribus, in quibus illa die Missa fuisset celebrata, sicut superiùs * scriptum est.

*Cap. 4.

Sensit verò loco illius suavissimi odoris quendam odorem vel fœtorem adustionis, tanquam si altare esset combustum, de quo multùm desolata fuit. Talis adustionis odor semper refusus est in naribus suis, quoties oscularetur altaria: & hoc duravit ei à festo purificationis usque ad Quinquagesimam.

Tunc iterum communicavit, & tunc illa die iterum visitans altaria, osculabatur * ea, sicut priùs, & tunc recepit suavitatem priùs perditam.

* *Cod. osculatur.*

Ipsa verò multùm mirabatur, cur Dominus ei priùs subtraxisset suavitatem solitam,

Tunc dictum est ei: *sicut odor adustionis olfactum non delectat, sed potiùs molestat: sic displicet in conspectu Dei in hominibus devotis, quando se eis Dominus communicat spirituali consolatione, quòd tunc se foras communicant, & distrahuntur: quod tu quidem fe-*

fecisti egrediendo per civitatem & ecclesias, licèt pro pia causa ires, scilicet pro indulgentia.

Cap. CCXXXI.

QUadam die in ecclesia facta in spiritu vidit unum Sacerdotem secularem accedere ad altare.*

* *Cætera desiderantur in Codice.*

Cap. CCXXXII.

Quærenti delicias tria sunt necessaria.

ANno DOMINI MCCLXXXXIIII. in Parasceve, cùm legeretur passio Domini, hæc virgo cœpit piè revolvere passionem & tantam dignationem DOMINI in mente, & piè affici ad Dominum. Et audivit vocem intra se dicentem sibi: *Qui vult habere spirituales delitias cum Domino, tria sunt ei necessaria.*

Primum est, ut habeat cor liberum à curis & ab occupationibus exterioribus.

Secundum est, ut habeat cor sursum jugiter per desiderium ad Dominum.

Tertium est, ut laudet Dominum in omnibus operibus suis, ita ut nullam displicentiam habeat de his, quæ Dominus facit, vel sinit fieri.

Cap. CCXXXIII.

De virtute quinque vulnerum CHRISTI.

POſt hæc virgo ſtatim facta in ſpiritu, vidit in immenſo lumine Dominum Jeſum Chriſtum albo panno quaſi ſyndone circumdatum, quaſi illo ſyndone, quo fuerat involutus à Joſeph ab Arimathia. Dominus autem ſtabat feſtivo vultu & jocundo, & plagæ quinque vulnerum apparuerunt diſcoopertæ & recentes. Circa Dominum autem erant quinque turbæ hominum in multitudine copioſa.

Prima procumbebat ad pedes Salvatoris: & hæc turba hominum major erat reliquis ſingulis: &, quanquam infiniti eſſent, tamen omnes ſimul habebant ſpatium ſufficiens apud pedes DOMINI. Hi ſunt omnes pœnitentes, qui habere ibi meruerunt veniam peccatorum omnium, & firmati ſunt in pœnitentia vera.

Secunda turba ſtabat ad manus Salvatoris, accipientes ſinguli de manu DOMINI munera: hoc eſt, augmentum gratiæ.

Tertia turba excipiebat in os ſuum ſanguinem & aquam ſcaturientem de latere Salvatoris, & inde reficiebantur. Iſti ſunt, qui in orationibus ſeu meditationibus hau-

hauriunt affectum amoris & lachrymas devotionis.

Illi de *quarta* turba omnes brachiis suis amplexabuntur Dominum, & sic ei semper adhæserunt, nec divellebantur aliquatenus ab eo. Hi sunt, qui Dominum amant in omnibus suis operibus, & complacentiam habent super omnibus ejus judiciis.

Isti de *quinta* turba recipiebant pacis osculum ab ore Salvatoris, & sic quiescebant. Isti sunt, qui interdum rapiuntur in extasim, & admittuntur ad osculum internæ contemplationis.

Cap. CCXXXIV.

De vilificatione hujus puellæ.

ANno DOMINI MCCLXXXXIIII. communicans Corpori & sanguini Salvatoris, facta est in spiritu, & repleta est magna consolatione divinitus, ita ut admiraretur, quòd ei tam indignæ & pauperculæ Dominus dignaretur tot & tanta consolationis suæ præstare beneficia. Ad hanc cogitationem intra se habuit responsum, quòd hoc faceret Dominus propter ejus humilitatem.

Hoc verò omnino illa renuit, in nullo se humilem reputans, sed vilem & omnino indignam,

Hoc

Hoc quidem ſemper inveni in ea, quòd mirabiliter ipſi viluit: & in omnibus donis DEI, quibus eam Dominus largiter cumulaverat, ſemper timuit, ne fortè eam Dominus judicaret graviter & puniret, quòd ejus dona tot & tanta perciperet indigna.

Cumque in anima reluctaretur illi reſponſo de humilitate, ùt ſupra dictum eſt, audivit vocem intra ſe dicentem: *Ad veram humilitatem quinque concurrunt.*

Primum eſt, ut omnium bonorum Dominum ſolum ſemper cognoſcat homo largitorem, nihil ſibi arrogans.

Secundùm eſt, ut, cùm omnia fecerit bona, quæ poteſt, omnino reputet ſe inutilem, & modicum vel nihil feciſſe.

Tertium eſt, ut ſemper ſuſpicetur ſe defectuoſum in gratia: & propter hoc ſemper magìs & magìs ſitiat & quærat gratiam DEI.

*Quartum eſt, ut ſe corporaliter finis * in omnibus humiliter habeat.*

* *Locus mend. in Cod.*

Quintum eſt, ut nunquam eum conſcientia remordeat de verbo ſuperbiæ vel cordis tumore.



Cap.

Cap. CCXXV.

Quinque modis partita est dilectio DEI.

INfra Purificationis Octavam infra Missam cogitavit de corpore DOMINI magna fide, & fervebat ad hoc salutare Sacramentum, & admiratione magna repleta est super tanta dignatione Salvatoris, & quasi seipsam in cogitatione reprehenderet, dixit: si verè diligerem, quanta ego dilectione ad ipsum deberem affici: Cumque hæc tacita secum loqueretur, accipit intra se Divinum responsum tale: *quinque modis partita est dilectio Dei.*

Primò ut propter amorem Dei quis caveat peccare.

Secundò ut ex amore Dei habeat quis complacentiam in Deo & delectamentum. Et in hoc amore assimilatur Deo.

Tertiò ut propter amorem Dei studeat quis verbo & exemplo ad ædificationem proximi. Et hic amor respondet Salvatori, & ei vicissitudinem rependit, quia ex amore per passionem eum Deo Patri reconciliavit.

Quartò ut absque omni perturbatione, sed in pace cordis in Deo quiescat. Et ex hoc ipse in Deo & Deus in eo manet.

Quintò ut ferveat desiderio post Deum.

Et in hoc illam animam Deus coronat in misericordia & in miserationibus, hic videlicet oblectando spiritualibus consolationibus, & in futuro glorificando æternaliter.

In hac revelatione multæ personæ sunt ei nominetenus specificatæ, quarum * *aliquæ habebant omnes has differentias amoris, aliquæ quatuor, aliquæ tres, aliquæ duas.*

Cod. quorum aliqui &c.


Dixit mihi, quòd cùm esset in hac revelatione, nihil omnino exteriùs corporaliter sensit, sed interiùs * inæstimabili delectatione spiritus replebatur, &c.

Cod. exteriùs.

Hoc qui scribebat, Ermenricus nomen habebat.

Anno Domini MCCCXVIII. minùs tribus annis obiit hæc Virgo in X. Kal. Maji, * *Agnes Blannbekin, filia cujusdam rustici, & morabatur Wiennæ, & erat de confessione Minoris cujusdam sancti Fratris.*

Sequentia addita sunt ab alia manu, seculi tamen XIV.



POTHONIS

Presbyteri & Monachi
Prunveningensis
Ord. S. Ben.

LIBER

DE MIRACULIS
SANCTÆ DEI
GENITRICIS
MARIÆ.

Prologus in Miracula Sanctæ DEI Genitricis semperque Virginis

MARIÆ


AD omnipotentis DEI laudem cùm sæpè recitantur miracula Sanctorum, quæ per eos egit divina potentia, multò magis Sanctæ DEI Genitricis Mariæ debent esse præconia, quæ & * sunt omni melle dulciora. Ergo ad roborandas in ejus amorem mentes fidelium, & evertenda corda pigritantium, ea, quæ fideliter narrari audivimus, largiente Domino recitare studuimus.

Incipiunt Miracula.

Cap. I.

De Ildefonso Episcopo Toletano.

FUit in Toletana urbe quidam Archiepiscopus, qui vocabatur Hildefonsus, re-



Prologus in Miracula Sanctæ DEI Genitricis, semperque Virginis MARIÆ.

AD omnipotentis DEI laudem cùm sæpè recitantur miracula Sanctorum, quæ per eos egit divina potentia, multò magis Sanctæ DEI Genitricis Mariæ debent referri præconia, quæ & * sunt omni melle dulciora. Ergo ad roborandas in ejus amorem mentes fidelium, & exercitanda corda pigritantium, ea, quæ fideliter narrari audivimus, largiente Domino recitare studeamus.

* Cod Mellic. E 81. quæ sunt.

Incipiunt Miracula.

Cap. I.

De Jldefonso Episcopo Toletano.

FUit in Toletana urbe quidam Archiepiscopus, qui vocabatur Hildefonsus,

religiosus valde, & bonis moribus ornatus, & inter cætera operum studia Sanctam DEI Genitricem Mariam multùm diligebat, & ut poterat, omni reverentiâ eam honorabat, in cujus laudem *volumen insigne de ejus sanctissima Virginitate* stilo eleganti composuit, quod & eidem Sanctæ DEI Genitrici complacuit, ut illi ipsum librum manu tenens appareret, & pro tali opere ei gratias referret.

Ille verò cupiens eam altiùs honorare constituit, ut celebraretur solemnitas ejus octavo die ante Festivitatem Dominici natalis, ita videlicet, ut si solemnitas annuntiationis Dominicæ circa passionem Domini, vel resurrectionem evenerit, in prædicta die sub eadem solemnitate congruè restitui possit. Quod sibi satis videbatur justum, ut priùs Sanctæ DEI Genitricis ageretur festum, ex quâ Dominus homo natus venit in mundum. Quæ solemnitas Concilio confirmata per multarum celebratur Ecclesiarum loca. Ergo Sancta DEI Genitrix ei rursum apparuit sedens in cathedra, propè altare posita, & vestimentum Sacerdotale, quod nos albam vocamus, attulit ei, dicens illi: *Hoc vestimentum de paradiso DEI Filii mei attuli tibi, quô vestieris in Domini, & mea solemnitate, & in hac cathedrâ sedebis, quando te libuerit insidere. Sed scito certissimè,* quòd

quòd præter te nemo in cathedra hac impunè sedebit, vel hoc vestimentum valebit induere.

Quod si quis præsumpserit, Domino judice non carebit.

His dictis Sancta Maria Virgo ab illo recessit, eique vestimentum, quod attulerat, reliquit. Quó ille valde reverenter utens, in Domini, & Matris ejus servitio quotidie crescebat in boni operis exercitio. Post hæc feliciter migravit ad Dominum relinquens posteris ad honorandam DEI Genitricem pulcherrimum exemplum.

Post cujus obitum quidam Clericus, vocabulo Siagrius, jam prælibatæ Urbis factus est Archiepiscopus, qui parvipendens devotionem prædecessoris sui, imò deceptus astutiis inimici in prædicta cathedra contra prohibitionem Sanctæ Virginis Mariæ consedit, sacrumque vestimentum induere volens dixit: *Sicuti ego homo sum, & hominem scio fuisse prædecessorem meum, quare ergo non vestiar eô, quò induebatur vestimento*, cùm eodem, quo ipse functus erat, fungar Præsulatûs officio? Hæc dicens illo sacro vestimento se induit, sed Deo statim ulciscente præsumptionem ejus in terram eodem vestimento acriùs constrictus, mortuus* cecidit.

* *Cod. Mellic. cit. omittit: mortuus.*

Quod videntes illi, qui aderant ma-

gnio timore perterriti, sacrum vestimentum, quod ille indignè acceperat, tulerunt, & in thesauro Ecclesiæ, ubi hactenus servatur, reposuerunt. Sic Sancta DEI Genitrix beatum Hildefonsum honoravit, Siagrium verò pro sua præsumptione morte mulctavit, ostendens, quia quisquis eam honoraverit, gratiam DEI suamque habebit.

Cap. II.

De Sacrista cujusdam Cœnobii.

IN quodam cœnobio erat quidam Monachus, Secretarii officio functus. Hic erat valde lubricus, & dæmoniaco instinctu alioquotiens urebatur libidinis æstibus. Tamen Sanctam Dei Genitricem non modicè diligebat, & transiens sanctum ejus altare dicendo *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum*, eam cum reverentia salutabat. Adjacebat autem ipsi Cœnobio fluvius, quem prædictus Frater transibat, quando ad explendam concupiscentiam suam pergebat. Quadam ergo nocte volens ire ad scelus assuetum coram Altare, ut solitus erat, Sanctam Mariam salutavit, ac deinde Ecclesiæ januas aperiens ad prædictum fluvium pervenit. Quem dum vellet transire à Diabolo impulsus in eundem cecidit,

dit, & mox demersus ibidem interiit. Cujus animam mox rapuit multitudo Dæmonum, cupiens eam deferre in barathrum.

Sed pietate Domini affuerunt Angeli, si fortè possent illi aliquid ferre solatii. Quibus venientibus dixerunt dæmones verbis mendacibus: Ut quid huc venistis? Nihil in hac animâ habetis, quoniam propter mala opera, quæ fecit, jure concessa est nobis. Ad hoc valde tristes Sancti Angeli, dum non sufficienter haberent, quod proferrent operis boni, ecce subitò advenit Sancta DEI Genitrix, & libera autoritate dixit dæmonibus illis: *Cur ô nequissimi spiritus animam hanc rapuistis?* Qui responderunt: *quia invenimus consummasse vitam in operibus malis.* At contra illa: *falsa sunt*, inquit, *quæ profertis. Scio enim, quomodo alicubi pergens me salutando, à me licentiam accipiebat, & rediens similiter faciebat. Quòd si dixeritis, quia vim facimus vobis, ecce ponemus in judicio summi regis.*

Cumque ex his altercarentur, placuit Altissimo Domino pro meritis suæ Sanctissimæ Matris, ut anima Fratris rediret ad corpus, quatenus pœnitentiam ageret de suis reatibus. Interea advenit tempus, quo Fratres ad cantandos hymnos convocarentur.

Et dum hora fieret ad pulsandum signum, surgentes aliqui ex Fratribus Secretarium prædictum quæsierunt: Et cùm non invenissent, ad fluvium perrexerunt, & eum jam demersum in aquâ repererunt. Cujus corpus ab aquâ extrahentes mirabantur cogitantes, quâ occasione hoc ei contigisset.

Cumque plura opinantes inter se sermocinarentur, ecce mirum in modum ille Frater exsurgens â morte inter eos assistit vivus, & narravit Fratribus, quæ contigerant sibi, & quomodo evaserit succurrente Genitrice Dei.

Post hæc non solùm illud vitium, quo delectari solebat, deseruit, sed etiam Domino, & Sanctæ Mariæ Matri ejus ferventiùs servivit, & in bonis actibus vitam suam consummans, in pace animam reddidit.

Cap. III.

De quodam Clerico Carnotensis Civitatis.

QUidam Clericus in Carnotensi Civitate degebat, qui levis erat moribus, & curis sæculi deditus, carnalibus desideriis etiam ultra modum subjectus; hic tamen Sanctam DEI Genitricem nimis in memoria habebat, & eam sæpissimè an-

ge-

gelica ſalutatione ſalutabat. Qui dum, ùt torcit, ab inimicis ſuis peremptus eſſet, ſcientes eum irreligioſam vitam duxiſſe, decreverunt eum extra cimeterium * ſepeliri debere, quod etiam ita fecerunt. Nam extra atrium, non ùt talem virum decebat, ſepelierunt. Et dum illic per dies triginta jacuiſſet, Sancta Maria illius miſerta, apparuit cuidam Clerico dicens ei: *cur ita injuſtè egiſtis erga meum cancellarium, ut poneretis eum extra veſtrum cimeterium?* Cui interroganti, quiſnam eſſet ille Cancellarius: *ille*, inquit Sancta Virgo, *qui ante dies triginta à vobis eſt tumulatus extra atrium.*

Cod. Mell. extra civitatem ſepel.

Nam mihi devotiſſimè ſerviebat, & coram meo altari me ſæpiſſimè ſalutabat. Citiùs ergo pergite, & eum de indecenti loco auferentes, in atrio reponite.

Hæc cùm dixiſſet, vehementer admirantes tumulum ejus aperuerunt, floremque pulcherrimum in ore ejus invenerunt, & linguam ejus integram, & ſanam quaſi ad laudandum Dominum paratam.

Intellexerunt itaque cuncti, qui aderant, propterea hoc ei accidiſſe, quia DEI Genitricem ex ſuo ore dilexit: quod ſibi valde placuit. Et relato corpore ejus ad cimeterium, cum Domini laudibus decenter eum ſepelierunt. Quod non ſo-

lum pro illo; sed etiam pro nobis credamus hoc fecisse Sanctam DEI Genitricem, quatenus omnes hoc audientes accendantur in Domini & ejus amorem.

Cap. IV.

Item de alio Clerico.

ALter quoque Clericus in quodam loco commorabatur, qui & ipse Deo & ejus almæ Genitrici satis erat devotus; qui inter cætera bonorum actuum studia, quibus placere eidem Genitrici curabat, hanc antiphonam in ejus honorem devota mente sæpe decantabat: *Gaude Dei Genitrix Virgo immaculata. Gaude, quæ gaudium ab Angelo suscepisti. Gaude, quæ genuisti æterni luminis claritatem. Gaude Mater, Gaude Sancta Dei Genitrix Virgo. Tu sola Mater innupta, te laudat omnis factura Genitricem lucis. Sis pro nobis, quæ sumus, perpetua interventrix.*

In hac autem Antiphona Sanctæ DEI Genitrici â Christi Ecclesia quinquies gaudium prædicatur, quia gladius enormis doloris ejus animam pertransiit, quando unigenitus Filius ejus Dominus noster Jesus Christus in cruce pro salute humani generis positus, quinque vulnera in corpore suo sustinuit, ut per eadem totius Mundi di-

dilueret crimina, â quinque sensibus humani generis commissa. Nempe propter hæc benedicta vulnera etiam à Spiritu Sancto in fine Psalmorum jam olim quinque illi versus sunt editi, in quibus undecies Dominum laudare jubemur, quatenus per hanc laudem veniam transgressionis divinæ legis mereamur.

Sed ut ad narrationis ordinem redeamus, prædictus Clericus, cùm languore correptus ad extrema pervenisset, cœpit anxiari, & pavore nimio perturbari. Cui apparuit Sancta Maria Virgo, dixitque ei: *Cur tanto timore trepidas, qui totiens gaudium mihi annuntiâsti? Ne paveas, quoniam nihil mali patieris, sed gaudii, quod mihi sæpe præcinebas, modo mecum particeps eris.*

Audiens hoc ille putavit se sanitati restitutum, & dum se cum lætitiâ erigere vellet, anima ejus è corpore egrediens paradisi gaudia petiit, ubi, sicut ei promiserat Sancta DEI genitrix, lætabitur per æterna sæcula. Ergo pensandum est, quantùm debeat mente retineri, quæ sibi servientibus non desinit auxiliari.

Cap. V.

De quodam Viro Paupere.

VIr quidam pauper degebat in quadam villa, qui, cùm egeret stipe quotidiana,

na, per plura loca pergebat, & tam ex largitione bonorum Virorum, quàm ex labore manuum suarum victum acquirebat. (Hic) ita Sanctam Dei Genitricem, Mariam, prout poterat & sciebat, ex toto corde suo honorabat, ut etiam de eleemosynis, quæ ei dabantur, pro ejus amore aliis pauperibus sæpissimè largiretur. Hic ergò, cùm moreretur, cœpit deprecari Sanctam Dei Genitricem, ut ei misereri dignaretur, & precibus suis ei felicitatem paradisi largiretur. Tunc Sancta Maria, Mater misericordiæ, ei assistens dixit: *Veni, & sicut petisti, perfruaris requie paradisi.* Hanc vocem audierunt multi, qui in illa domo erant, quod & mox effectus ostendit. Denique statim anima ejus egressa à corpore perducta est ab Angelis in paradisum, & sicut ei promiserat Sancta Dei Genitrix, lætatur cum justis sine fine.

Cap. VI.

Item de quodam fure.

SIcut exposuit Beatus Gregorius Papa de septem stellis Pleiadibus, quòd se quidem non contingunt, & tamen lucis suæ radium pariter ostendunt: Sic plures in Mundo religiosi viri diversis extiterunt temporibus, qui Domino, & ejus Sanctissimæ

ſimæ Genitrici ſimili devotione in una eadēmque virtute placere ſtuduerunt. Quos alii militantes meritis multò inferiores, meritis ejusdem Sanctæ Virginis ſæpius erepti fuiſſe à pœnis tam animæ, quàm corporis. Unde nulli ſit onerosum, quod referimus diverſis non diſſimile miraculum.

Fuit quidam, qui vocabatur Eppo, multoties res alienas rapiebat, aliorumque ſubſtantiis furtim ablatis tam ſe, quàm ſuos alebat. Attamen Sanctam Domini Matrem venerabatur ex corde, quam etiam, dum ad latrocinandum pergebat, exorando ſalutabat devotiſſimè.

Contigit quadam die, dum quædam furaretur, ut ſubitò pervaſus ab inimicis ſuis comprehenderetur. Qui dum ſe à reatu purgare nequiret, judiciô arbitrûm decretum, ut laqueo appenſus vitam finiret.

Ductus eſt namque ad laqueum, & ſuſpenſus eſt absque mora.

Cumque eo ſuſpenſo jam pedes ejus in aëre penderent, ecce Sancta Dei Genitrix in auxilium ei veniens per biduum, ut ſibi videbatur, ſuis ſanctis manibus ſuſtentavit, nec aliquam læſionem pati permiſit.

Illi verò, qui eum ſuſpenderant, cùm ad locum, unde paulò ante diſceſſerant, ubi pendebat, redirent, & vidiſſent eum

vi-

viventem & vultu hilari quasi nihil mali patientem, putaverunt eum non plene laqueo innexum, & protinus accedentes guttur ejus, dum transfigere vellent, Sancta Virgo manus suas gutturi ejus apposuit, nec transfigi permisit. Cognoscentes verò illi eo referente, quod Sancta Maria ei auxiliaretur, valde mirati sunt, & dimiserunt eum pro amore Dei. Qui abiens factus est Monachus, qui postea quoad vixit, servivit Domino, & Sanctissimæ Matri ejus.

Cap. VII.

De quodam Fratre Coloniensi.

IN Monasterio S. Petri, quod est apud Coloniam Urbem, erat quidam Frater, cujus vita, & mores nimis ab habitu Monachi discrepabant.

Nam leviter se agens in pluribus actibus suis, etiam filium contra propositum Monachi habebat, & sæculari actui se in multis tradiderat. Hic aliquando pro corporis salute cum Fratribns potionem accipiens, irruente languore nimis afflictus sine confessione, vel Christi Corporis sacra communione repentè est defunctus. Cujus anima mox ab antiquo hoste arrepta ducebatur ad infernalia daustra. Quod

cer-

cernens S. Petrus, cujus erat Monachus, accessit ad benignum Dominum, & pro anima Fratris deprecabatur.

Cui DOMINUS: *Ignoras Petre, quod Propheta me inspirante dixerit: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescit in monte sancto tuo? Subjiciens: qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam? Quomodo hic potest salvus fieri, cum neque sine macula sit ingressus, nec justitiam sit operatus?* Hæc audiens Sanctus Petrus iterum Sanctos Angelos, & deinde singulos ordines sanctorum precatus est, ut orarent pro animâ Fratris. Quibus singulis se deprecantibus, ea, quæ supra retulimus, respondit Dominus.

Novissimè venit ad Sanctam Dei Genitricem, cæterasque Sanctas Virgines, sciens illarum citissimé exaudiri preces. Ob quam rem, cùm surrexisset Sancta Dei Genitrix, precata suum Filium cum Sanctis Virginibus statim assurrexit eis Christus, & dixit suæ Sanctæ Matri, cæterisque Virginibus: *Quid à me poscis dulcissima Mater cum meis charissimis sororibus?* Cui cum Sancta Virgo respondisset, quod prô animâ Fratris pulsaret, Salvator Mundi ait illi: *Licèt per Prophetam dixerim neminem posse in meo tabernaculo habitare, nisi qui sine macula ingreditur & operatur justitiam: tamen quia tibi placet, ut indulgentiam consequatur,*

con-

concedo, ut anima ejus ad corpus revertatur, ut de malis actibus pœnitentiam agat, & sic demum requie perfruatur.

Hæc ut S. Dei Genitrix S. Petro innotuit, confestim S. Petrus magna clave, quam tenebat manu, Diabolum terrens in fugam convertit, & animam Fratris, quam tenebat, eripuit. Quam duobus speciosis pueris commendavit, & ipsi nihilominus, ut reduceret ad corpus, commendaverunt eum cuidam Fratri, qui fuerat Monachus præfati monasterii.

Qui reducens eam rogavit quasi pro mercede, ut singulis diebus pro eo diceret *miserere mei Deus*, & persæpe mundaret scopis sepulchrum.

At frater ille de morte resurgens, quæ sibi contigerant, vel quæ viderat, narravit, & quomodo à Diaboli potestate fuisset ereptus suffragiis Sanctæ DEI Genitricis, atque S. Petri Apostoli.

Sané si hoc, quod narravimus, miraculum alicui videtur incredibile, cogitet, quantum possit Sancta Dei Genitrix super omnes ordines sanctorum apud Filium suum, cœli & terræ Regem & Dominum, & deponat omne incredulitatis ambiguum.

Si verò objicit de clave Sancti Petri, quâ terruit inimicum, meminerit quia incorporalia corporeis nisi per corporalia nar-

narrari non possunt. Veruntamen Domino nihil est impossibile: Cui est gloria, & benedictio in sæcula sæculorum Amen.

Cap. VIII.

De quodam peregrino.

NEc hoc silere debemus, quod beatæ memoriæ Dominus Hugo Abbas Cluniacensis solebat narrare de quodam Fratre sui monasterii, qui dicebatur Giraldus, qui dum adhuc laicus esset, desiderabat ad Sancti Jacobi limina pergere. Paratis itaque itineri necessariis sub luce diei, quâ iter aggredi debebat cum sociis, cum sua conjuge dormivit, devictus voluptate carnis.

Cumque paululum in itinere cum sociis suis processisset, antiquus eum hostis decipere cupiens, qui aliquando transfigurat se in Angelum lucis, in similitudine Sancti Jacobi Apostoli se ostendens dixit ei: Scias, quoniam pro malis operibus, quæ gessisti, jam non potes salutem consequi, nisi feceris, quæ dixero tibi. Abscinde ergo primùm tua genitalia membra, & deinde interfice temetipsum, & ob hoc habebis à Domino præmium sempiternum.

At ille putans veraciter eum esse Sanctum

ctum Jacobum, qui talia juberet, arrepto ferro membra virilia abscidit; ac postea per guttur ferrum trahens semetipsum ad mortem vulneravit. Quem jam morti proximum audientes socii ejus, & extremum jam spiritum vix trahentem, ut viderunt eum sanguine cruentatum, timentes eum fugierunt, metuentes, ne fortè dicerentur vel cupiditate pecuniæ, vel aliqua occasione peremisse illum.

Porro cùm fuisset defunctus, rapuit animam ejus hostis antiquus, qui eum deceperat, cum suis satellitibus, ac se ita prædam cepisse non modicè gavisus est. Nutu verò DOMINI dum transirent secus Ecclesiam Sancti Petri, venit eis obviam S. Jacobus assumptò secum Sancto Petro, & dixit dæmoniacæ cohorti: cur tulistis animam peregrini mei? Illi verò cùm proferrent, quidquid mali poterant, & quod ad extremum se peremisset, dixit eis S. Jacobus Apostolus: Sciatis verè, quia non gaudebitis de illius perditione. Nam sub mei specie decepistis eum, & hoc, quod fecit, quasi mihi obediens simpliciter egit.

Quod si contra hoc reluctamini, eamus ad judicium Sanctæ DEI Genitricis Mariæ.

Igitur cum ante eandem Sanctam Dei Matrem venissent, & quod de hac re sibi pla-

placeret, inquirerent, ipsa Virgo Sancta plena pietate judicavit animam debere ad corpus reverti, ut de malis, quæ gesserat, posset pœnitendo purgari. Sic itaque meritis Sanctæ Mariæ Virginis, & Sancti Jacobi Apostoli anima ad corpus regreditur.

Homo itaque reviviscens invenit se sanum, & tantummodo cicatricem pro testimonio remansisse ubi guttur fuerat vulneratum.

Porro virilia membra, quæ sibi demserat, non sunt sibi restituta, præter unum foramen parvum, per quod urinam projiciebat exigente naturâ. Hic denique Monachus in supradicto Monasterio Cluniacensi factus, multis diebus supervixit devotus in servitio DEI.

Cap. IX.

De quodam Presbytero.

SAcerdos quidam erat parochiæ cujusdam devotè Domino serviens, ac honestè vivens, & optimis studiis præditus, sed litterarum scientia non plenè imbutus. Etenim unam tantùm Missam sciebat, quam devotissimè in honorem DOMINI, & sanctissimæ Genitricis ejus omnibus penè diebus decantabat. Est

autem Missæ ipsius Introitus: *Salve sancta parens.*

Ob hoc â Clericis apud Episcopum accusatus est, & eodem jubente coram adductus. Quem corripiens Episcopus interrogabat, si verum esset, quod de eo audierat? Qui respondit ei, verum esse, & se aliam Missam nec scire, nec dicere. Ad hoc Episcopus furore commotus, dicens eum seductorem hominum esse, officio Missæ privavit.

Reversus verò Presbyter ad domum suam tristabatur propter Missæ privationem.

Nocte autem sequenti apparuit sancta DEI Genitrix Episcopo in visione, dicens ei aliquantulum severa voce: *Ut quid ita Cancellarium meum tractâsti, ut prohiberes servitium Domini & meum ab eo fieri? Pro certò ergo noveris, quia nisi citiùs, ut agat divinum officium sicut solet, jusseris, die tricesimo morieris.*

Hac visione tremefactus Episcopus surrexit concitus, & mittens ad Presbyterum mandavit, ut ad se veniret quantociùs.

Qui dum venisset, Episcopus ad pedes ejus procidit, ut sibi indulgeret humiliter poposcit. Deinde præcepit, ut nunquam alteram Missam cantaret, nisi eam,

eam, quam de Sancta Maria cantare solitus erat.

Ex tunc vero Presbyterum magnificè honorabat, quem etiam pro DEI amore, & sanctæ genitricis quamdiu vixit, & vestivit, & aluit. Sic Beata DEI Genitrix Sacerdotem sibi servientem ab injuria protegens, quæ necessaria erant, præberi fecit, & postea defunctum ad vitam æternam suis meritis introduxit.

Cap. X.

De duobus Fratribus.

ERant duo Fratres in urbe Roma, quorum unus vocabatur Petrus, admodum prudens & strenuus Ecclesiæ Sancti Petri Archidiaconus, sed avarus, alter verò Stephanus, qui judex in eadem urbe constitutus sæpè munera accipiendo judicium pervertebat, & aliis debita non reddendo, aliis sua auferendo multos injustè judicabat. Nam etiam tres domos Ecclesiæ Sancti Laurentii, & Sanctæ Agnetis hortum unum injustè habuit.

Accidit autem, ut Frater ejus Petrus moreretur, & in pœnas purgatorias in suis culpis duceretur. Post paucos quoque dies defunctus est Stephanus, & ad judicium DOMINI perductus. Quem

cernens Sanctus Laurentius, qui tres demos subtraxerat, quasi cum indignatione approximans ei tertiò brachium ejus arctiùs strinxit, & non minimo dolore cruciavit.

Sancta quoque Agnes cum suis virginibus pro horto sibi subtracto faciem suam avertit ab eo. Tunc Dominus cœli & terræ, qui est judex justus, dans judicium super eum dixit: *Quoniam multotiens aliena abstulit, & munera accipiendo pravè judicans veritatem vendidit, dignum est, ut loco Judæ traditoris debeat poni.*

Quid plura? Sine mora impletur judicium DOMINI.

At verò Stephanus, dum adhuc viveret, valde diligebat Sanctum Projectum Episcopum & Martyrem, & singulis annis Clericos pascendo, & multas eleemosynas pauperibus erogando, honestè agebat ejus solennitatem. Dixerat ergo Sancto Projecto: *Sancte Projecte, cur non succurris Stephano, qui tam devotus extitit in tuo servitio?* Accede ergò confidenter ad misericordem & benignum Dominum, ut sua potenti pietate largiatur ei aliquod remedium.

Tunc S. Projectus primò accedens ad S. Laurentium, & ad Sanctam Agnetem, in quos ille deliquerat, precabatur, ut ei

ve-

veniam darent. Illi verò pro ejus amore indulserunt.

Deinde exoravit Dominum pro eo, & cooperante Sancta DEI Genitrice Maria mox obtinuit ut anima ejus rediret ad corpus, quatenus, quod rapuerat, redderet, & de peccatis suis pœnitentiam ageret vivens triginta diebus.

Interea dum duceretur idem Stephanus ad locum Judæ traditoris, ùt judicaverat Dominus, audivit à longe quasi voces plangentium animarum in pœnis positarum, inter quas agnovit Petrum Fratrem suum, ad quem approximans dixit: quomodo Frater in pœnas istas adductus es, quem virum justum putabamus? At ille: eo, inquit, sum huc adductus, quoniam aliquantulum fui avarus. Cui Stephanus: speras, ait, ultra consequi salutem? Cui ille: spero, inquit, quoniam etsi fui avarus, tamen bona multa erga ecclesias facere studui. Et si Dominus Apostolicus pro me Missam cantaret cum suis Cardinalibus, largiente Domino consequerer veniam, & solverer ab his, quas patior pœnis. Post hæc dum Stephanus Domino judicante, ùt supra dictum est, in locum, ubi Judas torquebatur, qui erat quasi puteus clavis acutis circumquaque præfixus, mersus fuisset, venit jussio Omnipotentis DOMINI, ut anima ejus re-

rediret ad corpus. Reductus ergo, cum venisset ante Sanctam DEI Genitricem Virginem Mariam, jussit ei ipsa Virgo piissima, ut singulis diebus vitæ suæ cantaret Psalmum: *Beati immaculati.* Ergò revixit Stephanus, & quæ sibi contigerant, narravit Apostolico, & his, qui cum eo erant: & quæ audierat à fratre suo Petro, & ostendit ei etiam brachium suum, quod constrinxerat S. Laurentius, quod mirum in modum ita lividum erat, ac si vivens in corpore hoc fuisset passus. Addidit etiam: in hoc scietis, quoniam vera sunt ista, quæ refero vobis, dum me videritis ex hac vita migrare triginta diebus transactis.

His verbis fidem faciens audie[illegible]tibus, quòd injustè abstulerat, reddidit. E[illegible] exinde peracta de reatibus pœnitentiâ tricesima Die feliciter à sæculo migravit.

Cap. XI.

De quodam rustico.

Erat quidam vir sæcularis, rurali operi deditus, & aliis mundanis curis occupatus, qui dum multis pravis actibus esset intentus, etiam dum terram suam exararet, quantum poterat terræ, vicinis suis subripiebat, & metas suas transgrediens, ju-

jugeribus suis terram aliorum furtim sociabat: tamen Sanctam DEI Genitricem sæpius in mente habebat, & plerumque eam, sicut de quibusdam suprà scripsimus, sicut sciebat, devotè salutabat. Iste ergo, cùm esset defunctus, convenerunt dæmones animam ejus rapere confidenter.

Affuerunt etiam Angeli, qui cum proferrent pauca bona ab ipso facta, cœperunt dæmones econtra proferre innumerabilia mala.

Cumque ob hoc exultantes putarent se vicisse, intulit unus ex Angelis, quòd cum devotione solitus esset salutare Sanctam DEI Genitricem. Hæc audientes spiritus immundi confestim relictâ animâ recesserunt confusi. Sicque factum est, ut illa anima erepta ab adversariorum potestate perpetuam damnationem evaderet largiente Domino per suæ Sanctæ Genitricis merita.

Cap. XII.

De quodam Priore.

Apud civitatem, quæ vocatur Papia, in monasterio Sancti Salvatoris fuit quidam Monachus, qui erat Prior ipsius monasterii constitutus.

Hic levis in eloquio erat, & pravis moribus, malisque actibus deditus erat, sed tamen, quamvis ita videretur irreligiosus, Sanctam Mariam Matrem Domini non parùm diligens singulis horis laudes DOMINI Matrisque ejus canebat, & dum eas caneret semper stabat, nec ullatenus sedere volebat. Expleto denique vitæ suæ termino, defunctus, ac sepultus est.

Post anni verò circulum apparuit cuidam Secretario monasterii, qui vocabatur Humbertus. Is autem Humbertus, ut mos est Secretariis, ante matutinos Hymnos surrexerat quadam nocte, & lampadum lumina refovebat, stans ante altare. Et ecce, præfatus defunctus Frater cœpit eum vocare apertâ voce: Frater Humberte, Frater Humberte. At ille hoc audiens valdè perterritus est, & ignorans, quid hoc sibi vellet, ad privatas mansiones, quæ erant in domo infirmorum, quoniam viciniores erant monasterio, accurrit. Ibi quoque defunctus Frater cœpit clamare: Frater Humberte, Frater Humberte.

Ille autem non ausus est ei respondere, sed ad stratum suum cum timore rediit. Et cum obdormisset, astitit ei ille Frater memoratus, & dixit ei: Quare dum te vocarem, respondere noluisti? Quem ille re-

recognoſcens requiſivit dicens: quomodo habes Frater? Reſpondit ille: Usque nunc male fui exilium paſſus in regione quadam. Ubi dum degerem multis tribulationibus oppreſſus, accidit, ut tranſiret per locum illum Regina Veneranda, magni Regis potentiſſima, cui, dum viverem, ſolitus eram ſingulis horis angelica ferre nuntia. Quæ videns me agnovit, & inde educens me ſecum abduxit, & in locum bonum miſit. Hoc audiens ille Frater Humbertus cæteris Fratribus innotuit, quòd defunctus, ſicut ille referebat, per Sanctam DEI Genitricem ſupplicium evaſerit.

Unde colligitur quantam ſpem evadendi totius periculi poſſint percipere, ſi qui devotè dulciſſimas horas tam clementiſſimæ Dominæ jugiter perſonantes ſtuduerint ſervire. Ipſe autem Humbertus, poſtquam hoc vidit & enarravit, inter paucos dies defunctus eſt.

Cap. XIII.

De quodam Clerico.

IN ſupradicta civitate Papia fuit quidam Clericus, qui dicebatur Jeronimus, morum probitate decoratus, qui Sanctæ DEI Genitrici valde ſtudebat placere vel ſalutando,

tando, vel ejus horas canendo, vel etiam multis modis servitium agendo.

Accidit autem ut civitatis ejusdem Antistes obiret & Ecclesia sine rectore remaneret. Quamobrem collecti Clerici cum senioribus urbis statuerunt triduo *jejunium* celebrari, ut ostenderet Dominus, quem vellet Episcopum fieri. Interea Sa DEI Genitrix cuidam viro sancto apparuit, eique dixit: *Vade, & dic populo, ut meum accipiant Cancellarium, & constituant sibi eum Episcopum.*

At ille, dum percontaretur, quis ejus esset Cancellarius? Respondit, hunc esse, qui vocatur Jeronimus. Quique esset in suo Dominique servitio die ac nocte strenuus. Evigilans ille narravit hoc senioribus urbis, qui requirentes ipsum Jeronimum cum magno honore fecerunt ordinari Episcopum. Sicque idem Jeronimus favente DEI Genitrice Maria Episcopali honore sublimatus, in DEI servitio & ejus Genitricis omnibus diebus vitæ suæ studuit servire. Et post hoc feliciter obiens ad cælestia regna migravit.

Cap. XIV.

Item de alio Clerico.

SAncti Michaëlis Archangeli nomine consecrata est quædam Ecclesia, quæ Chlu-

Chlusa ab incolis est nominata, ubi degit multitudo Monachorum sub regula Domino servientium. Porro in regione illa habetur vinum, quod quasi sanguis valde est rubicundum, de quo vino Missam cantari consuetudo est ipsius Ecclesiæ. Cavent enim de claro vino Missam cantare, ne fortè negligentia contingat pro vino aquam offerre, quæ plerumque decipit similitudinis specie. Illud verò vinum, quod est sanguinei coloris tantæ est virtutis, ut si effundatur supra aliquod linteamen, ita ejus inficiatur colore, ut jam aboleri non queat ulla ablutione. Habentur quoque in præfata Ecclesia capsulæ, intrinsecus panno lineo circumseptæ, unde corporalia post Evangelium accipiuntur, dum Missa cantatur, & ea peracta ibidem reponuntur.

Erat etiam in ipsa ecclesia quidam juvenis, nomine Anshelmus, Sanctæ DEI Genitricis servitio tota mente deditus. Hic, dum quadam die Missa celebraretur, functus officio servitoris, ablata corporali palla de capsula post Evangelium, ùt moris erat, casu effudit vinum, de quo Missa cantari debuerat, intra capsulam, & statim linteolum, quod intrinsecus erat, ita intinctum est vino, quòd, ùt diximus, fieret rubei coloris, quasi esset sanguine infectum.

Hoc

Hoc eventu ipse juvenis valde perturbatus ignorabat quid ageret, præsertim in conventu Fratrum positus. Neque enim suppetebat hora, ut posset quoquo modo ablui, & si ablueretur, non citiùs posset exsiccari.

Itaque cantato *Sanctus*, ut mos est, post Præfationem Missæ, toto corde convertit se ad Sanctam DEI Genitricem, exorans, ut sicut ei placeret, de hac re sibi daret consolationem. Oratione verò peracta antequam Sacerdos diceret Dominicam orationem, respiciens juvenis in capsulam, vidit linteolum, quod infusione vini paulo ante colore sanguineo fuerat tinctum, ita effectum candidum, ut nulla unquam candidatrix aliqua ablutione, vel candidatione sic posset efficere fulgidum. Quod præfatus juvenis cernens gavisus est gaudio magno, & ex tunc ardentiùs Sanctam DEI Genitricem dilexit, totoque ei animo servivit, omnesque, quos potuit, in ejus amorem succendit. Hoc verò miraculum, dum à fratribus fuisset cognitum, cum grandi lætitia Dominum, & S. Mariam magnis laudibus, ut decet, pro tali re glorificaverunt, & ei deinceps devotiùs servierunt.

Cap.

Cap. XV.

De Imagine S. Mariæ.

Est alia quædam Ecclesia in honorem S. Michaelis constituta in monte, qui dicitur Tumba in periculo maris. In hac Monachorum multitudo sub regulari instructione famulabatur Domino. Contigit autem quodam tempore, ut succenderetur ipsa ecclesia divino judicio, fulgure de coelo in ea cadente. Erat autem ibi imago quædam decenter ex ligno fabricata in Sanctæ DEI Genitricis Mariæ veneratione habens super caput suum in modum mitræ candidum velamen. Igitur cùm pervenisset ignis ad locum, ubi erat imago illa, omnia, quæ circa erant, combussit, ipsam verò imaginem quasi expavescens omnino intactam reliquit, ita etiam ut velamen candidum, quod capite gestabat, odore fumi non valeret aliquatenus obscurari. Evasit etiam ab igne una scopa de pennis pavonis, quoniam erat innixa ipsi imagini.

Digna prorsus ostensio miraculi fuit, quia illius imaginem tangere non valuit, quæ corpore & mente Virgo permanens carnis concupiscentiam nullatenus scivit. Sic Sancta DEI Genitrix imaginem suam, ùt diximus, ab igne defendit, ostendens, quòd

quòd sibi servientes ab igne inferni liberare facillimè possit.

Cap. XVI.

De quodam Clerico.

IN territorio civitatis, quæ dicitur Pisa, erat quidam Clericus, ecclesiæ S. Cassiani Canonicus. Hic sicut de pluribus retulimus, Sanctæ Virgini Mariæ, Mundi Reginæ servitium devota mente reddebat, horasque diei, quæ tunc temporis à paucissimis dicebantur, in ejus honorem sedulè decantabat. Cujus genitores cum morte interveniente ex hac luce migrâssent, quoniam valde nobiles, & divites fuerant, dimiserunt ei magnam hæreditatem, & præter illum nullum alium habebant hæredem. Venientes autem ad eum amici ejus insistebant, ut rediret ad domum, quam parentes ei reliquerant, & uxorem ducens gubernaret suam familiam & hæreditatem. Qui præbens ei assensum cum illis abiit, ut veniens ad possessionem patrum suorum duceret uxorem. Inter hæc vero cœpit segnior esse in servitio, quod solebat reddere S. Mariæ.

Quadam die cùm ad celebrandas nuptias conjugis, quam sibi elegerat, tenderet, in itinere devenit ad quandam ecclesiam,

siam, & recordatus servitii soliti S. Mariæ, rogavit socios, ut se paululum expectarent, dicens se velle in Ecclesiam orandi gratiâ pergere. Cumque socii ejus admonerent eum, ut accelerarer, nequaquam inde gressum movere voluit, donec omnes horas S. Mariæ cœpit intenta mente cantare.

Adhuc eo in Ecclesia persistente, apparuit ei S. DEI Genitrix Virgo Maria dicens ei severa voce: O iniquissime, & stultissime! Cur me dereliquisti, cùm tua amica essem, & declinâsti in alterius amorem? Nunquid alteram invenisti mê meliorem? Moneo te, ne dimittas me, nec me contempta conjugem ducas. His nimis ille perterritus verbis ad socios rediit, & simulans se veraciter uxorem ducere velle, ex more nuptias celebravit cum grandi gloriâ. Nocte verò sequenti ingressus cubiculum, quasi cum uxore pausaturus, cunctis ignorantibus clàm domum egressus, tam uxorem, quàm cuncta, quæ habere poterat, reliquit, &, ùt creditur, locum DOMINI servitio & ejus Sanctæ Genitrici aptum, quærens, quò abierit, vel quomodo vitæ cursum peregerit, hactenus nullus scire potuit. Nemo tamen ambigere debet, quin ipse Sanctæ Cœli Reginæ sit protectus munimine usque in finem, pro qua ipsa hortante totum Mundum studuit relinquere DOMINO

opitulante, cui est gloria sine fine Amen.

Cap. XVII.

De quodam milite.

MIraculum me referre non piget, minimum quidem, quantum ad grande Sanctæ DEI Genitricis meritum, sed tamen & magna, & minima referri miracula ad laudem ejus cumulandam nulli debet esse onerosum, quæ est refugium miserorum, & recuperatio perditorum. Quædam mulier, nomine Merieldis, cujusdam militis conjunx, vocabulo Rogerii, filii Wimundi, manens propè Fiscannum, vidit quadam nocte in somnis se portare quoddam vexillum, quod colore sanguineo erat tinctum. Hoc autem vidit, cùm esset gravida pignore filii, quem postea habuit. Evigilans itaque à somno sensum perdidit continuò, & cœpit aliena loqui valde mirante viro suo. Post paululum autem videbatur sibi Christianam fidem, quam hactenus habuerat, inter mamillas suas esse, & inde denuo exire. Sic ludificabat eam Diabolus, cujus animam venari cupiebat.

Amici igitur ejus consternati magno timore pro tanto infortunio, quod videbant ei accidisse, assumentes eam duxerunt per

per loca Sanctorum, si fortè obtinerent ei sanitatis gaudium. Pernoctavit etiam in Ecclesia S. Trinitatis, in qua adorat tribus in Personis unus Deus. Sed necdum voluit ei tribuere sanitatem, quia salutis ejus donum reservatum fuerat Sanctæ Reginæ cœli, Beatæ DEI Genitrici. Post hæc benedicta est aqua, â pluribus Presbyteris multis exorcismis adjurata, multis benedictionibus roborata, in qua dum fuisset mersa, ita est de infirmitate deterior facta, ut multò magis laboraret magna insaniâ capitis. Peracto autem anni circulo, postquam in infirmitatem deciderat, appropinquante solemnitate Purificationis Sanctæ Mariæ perducta est ad Ecclesiam, in honorem ipsius Sancta DEI Genitricis MARIÆ conditam, quæ in medio grandis sylvæ olim, ùt fertur, constructa â Græcis. Dissimilis enim valde [est] aliis Ecclesiis, satis congrua ad habitandum Eremitis.

Ibi ergo cùm pernoctásset in jam dicta solemnitate, meritis ejusdem Sanctæ DEI Genitricis ita sana effecta est, ac si nunquam aliquid mali habuisset. Nam & sensus, quem amiserat, ex integro ei rediit, & sanitas capitis plenissimè recuperata est. Unde tam ipsa quàm vir ejus, & cæteri amici ejus laudem retulerunt Domino & Sanctæ DEI Genitrici.

Nunc itaque, Charissimi, deprecemur piissimam Matrem Domini nostri JESU

 Chri-

Christi, ut nobis peccatoribus tam præclara ejus merita ex animo venerantibus dignetur obtinere criminum omnium veniam, quæ in prædictis miraculis multis servis suis efficacem ostendit misericordiam. Adsit nobis ipsa in omnibus vitæ nostræ periculis protectrix, omnibusque suum dulcissimum nomen invocantibus: illa, quæ est Mater misericordiæ, sit in hora exitus nostri festina auxiliatrix, & in die Judicii contra omnes impetus inimici potentissima defensatrix, præstante Domino nostro Jesu Christo.

Cap. XVIII.

De quodam infirmo.

SAcrosancta S. Mariæ DEI Matris præconia quæ referre pronis intentionibus non arrogantiæ temeritatibus, & licentiosis præsumptionibus [proposui,] sponsa Christi Catholica suscipiat Ecclesia, per cujus misericordissima, & gloriosa patrocinia Filius suus, Dominus noster JESUS Christus, infirmorum languoribus præstat remedia.

Cùm diversis gentibus, & plurimis nationibus innumerabilium locorum in urbe Vivaria gratiâ sanitatis recuperandæ Beatæ Virginis Mariæ basilica frequentaret,

ret, & medela sanitatis à Christo JESU per suæ Matris sancta suffragia quàm pluribus impertiretur, fortuitò quidam languidus & ardens uno pede ad ecclesiam prædictam advenit, qui sanitatis promerendæ gratiam toto conatu mentis efflagitare cupiebat. Cumque per plurimorum dierum circulum diutiùs ibi moraretur, nec sui desiderii magnum quid, vel modicum impetrâsset, pedem ardentem à cruce separavit: quia maluit eo carere, quàm omnibus vitæ suæ diebus in ardoris languore sic esse.

Post non multùm verò temporis cùm prædictus infirmus in Ecclesia Beatæ Mariæ semper Virginis esset, & præ tristitia lacrymaretur, lacrymans conquereretur, conquerendo piam Matrem deprecaretur, deprecando voce lacrymabili verbis subscriptis usus est: ô Domina piissima, perennis Virgo Maria, cur ego solus homuncio confidens in tuo patrocinio à te Matre misericordiarum dejectus sum? Alii gratiam sanitatis promeruerunt, & ego solus abjectus sum? Heu me miserum, quæ me lascivia errantem â rectô tramite traxit ad devia! Doleo, doleo, quòd factus sum advena à beatissima DEI Genitrice Maria protectrice misericordissima & salvatrice piissima.

Cumque talia & his similia fuissent prolata, naturali deditus somno requievit. Cui sic in visione quædam pulcherrima quasi fæmina, terrenis corporibus incomparabilis, apparuit, quam confidenter credimus ipsam Salvatoris Matrem fuisse, quæ leniter per cruris inferiorem partem, & ejus incisionem manum suam deducebat.

Eo deinde evigilante, pedem, quem præ dolore à cruris compage separaverat, sanitati pristinæ per misericordiam DEI Matris restitutum invenit. Quo viso gratulabundus exultavit, suis incedendo pedibus Salvatorem, ejusque Matrem benedixit.

Cap. XIX.

De Conceptione Sanctæ MARIÆ.

TEmpore illo, quo Divinæ placuit bonitati, Anglorum gentem de malis suis corrigere, & suæ servitutis officiis arctiùs astringere, gloriosissimo Nortmannorum Duci Wilhelmo eandem patriam debellando subegit, ejusque virtute, & industriâ, totius Ecclesiasticæ dignitatis statum in melius reformavit.

Cu-

Cujus piæ intentionis operibus invidens ille bonorum omnium inimicus Diabolus, tum familiarium fraudibus, tum extraneorum incursibus multotiens conatus est ejus obsistere successibus. Sed Domino protegente, & timentem se Regem glorificante ad nihilum deductus est malignus.

Audientes autem Daci * Angliam subjectam esse Nortmannis, graviter indignati sunt, se suo quasi hæreditario jure privari, arma præparant, classem aptant, ut eos adeuntes â data sibi divinitus patria expellant. Hoc comperto rex prudentissimus Hessinum quendam religiosum Abbatem Ramisiensis Cœnobii accersitum in Daciam dirigit, ut inquirat hujus rei veritatem.

* *i. e. Dani.*

At ille vir admodum sagacis ingenii strenuè Regis negotium exequitur. Quo fideliter peracto Angliam reverti cupiens mare ingreditur. Et jam maximam partem maris prospero cursu transierat, tunc subito densis surgentibus undique ventis horrida tempestas cœlum commovit & undas. Fatigatis ergo nautis, nec ultra obniti valentibus, fractis remis, ruptis funibus, cadentibus velis, spes salutis amittitur, nihil nisi submersionis indicium miserabiliter expectatur. Cumque de salute corporum desperati, animarum curam so-

ſolummodo Creatori ſuo magnis clamoribus commendarent & Beatam DEI Genitricem Mariam, miſerorum ſcilicet refugium, & deſperatorum Spem devotè inclamarent, ecce ſubitò conſpiciunt quendam reverendi habitûs virum, pontificali infulâ decoratum, quaſi ſuper undas ſtantem navi proximum. Qui advocans ad ſe Abbatem Helſinum, his verbis cœpit compellare dicens: Vis, inquit, periculum maris evadere, & in patriam redire? Cumque ille cum fletu ſe id toto corde deſiderare, id ſolum expetere reſponderet, tum ille: Scias, inquit, me ad te â Domina noſtra Genitrice DEI Maria, quam tam dulciter inclamâſti, directum; & dictis meis ſi obedire volueris, ſanus cum comitibus evades imminens periculum maris.

Spondet illico ille ſe ei in omnibus obtemperaturum, ſi hoc evaderet periculum. Promitte, inquit ille, Domino & mihi, quòd diem Conceptionis Matris Jeſu Chriſti ſolemniter annuatim celebrabis, & celebrandum prædicabis. At ille, ut erat vir prudentiſſimus: Et quis, inquit, dies mihi hoc feſto erit celebrandus? Sexto, ait, Idus Decembris hoc feſtum ſolemnizandum tenebis. Et quo, inquit Abbas, ſervitio utemur in Eccleſiaſtico officio? Omne, inquit, ſervitium, quod di-

dicitur in Nativitate ejus, dicetur & in Conceptione, exceptô quòd nomen Nativitatis mutabitur nomine Conceptionis. His dictis ille disparuit, & citiùs dictu sedata tempestate Abbas cum suis incolumis concito ventu applicuit Anglicis littoribus, & quæ viderat & audierat, quibuscunquè potuit, notificavit, statuitque in Ramisiensi Cœnobio idem festum solemniter celebrari, & ipse, quoad vixit, devotis obsequiis celebravit.

Et nos, Fratres dilectissimi, si portum salutis volumus apprehendere, DEI Genitricis Conceptionem dignis obsequiis celebremus, ut ab ejus Filio & Ipsâ dignâ mercede remuneremur. Qui cum &c.

Cap. XX.

De Imagine S. Mariæ.

IN Lidda civitate, quæ proxima est civitati, quæ vocatur Diospolis, est imago Sanctæ DEI Genitricis, semperque Virginis Mariæ, quæ non est facta manu hominum, sed quasi picta super lapidem marmoreum, in figura quasi viva in carne sit, vestimenta autem ejus quasi purpurea sunt. Quæ imago est in ecclesia, quam Sancti Apostoli pretiô emerunt â Judæis & à synagoga, qui in ea habitabant, & in ho-

honorem Sanctæ DEI Genitricis dedicaverunt, quæ est domus Episcopi. Invidentes autem Judæi, quòd Sancti Apostoli de Synagoga eandem domum emerunt, & DEI templum fecissent, & Christum in eâ prædicarent, venerunt ad Cæsarem, qui tunc temporis præerat, volentes pretium reddere Apostolis, & recipere ipsam domum, ut reædificarent Synagogam.

Vocatis autem Apostolis â Cæsare, ùt venerunt, interrogavit eos, propter quam causam hoc fecissent, Apostoli verò respondentes dixerunt: Nos benè fecimus ædificantes domum, quam emimus in honorem Salvatoris nostri, & Sanctæ Genitricis ejus. Tunc Cæsar præcepit Apostolis, & Judæis, ut sigillarent uterque hanc domum, & observarent dies quadraginta, ut Dominus ostenderet, cujus essè deberet, Ascendentes autem Apostoli in montem Sion, ubi B. V. Maria adhuc vivens semper morabatur, rogaverunt eam dicentes: O tu Beata Virgo, obsecra Christum Filium DEI, quem tu benignissima Mater secundùm carnem genuisti, ùt secundum suam magnam misericordiam hanc domum, quam suo nomini, & in tuo honore dedicare curavimus, ad prædicandum verbum ipsius nobis concedere dignetur. Respondens ergo Beata Virgo Petro Apostolo ait: Ite, & nolite

lite turbari, quia ego vobiscum sum in ipsa Ecclesia in adjutorium.

Transactis autem diebus quadraginta convenerunt simul Apostoli & Judæi in prædictam ecclesiam, & invenerunt signatam, ut reliquerant. Statim Beatus Petrus cœpit eandem scopis mundare. Tunc unus ex Judæis aspiciens in parietem, vidit imaginem in occidente positam respicientem contra orientem. Attentiùs autem considerans imaginem Judæus dixit: verè mulier est in hac domo. Hæc verba alii Judæi audientes, & ipsam imaginem respicientes dixerunt: Verè hæc est ipsa Maria, DEI Genitrix. Quod audientes Judæi turbati sunt, & præ timore abierunt inde dicentes: Jam quia Maria est in hac domo, nequaquam intrare audemus.

Postea verò Julianus, qui persecutor Ecclesiæ fuerat, inter cætera mala quæ faciebat, præcepit Judæis, ut venientes tollerent ipsam imaginem, & projicerent ipsam imaginem de ipso marmore, atque sibi offerre studerent. Qui abeuntes voluerunt facere, sicut eis præceptum fuerat. Et accedentes, ut figuram separarent de marmore, ut viderunt faciem ipsius imaginis, magno timore perterriti sunt, & ea dimissa abierunt. Quæ usque in hodiernum diem ibi venerabiliter perseverat.

Cap.

Cap. XXI.

Item de Imagine.

IN Sancta Getsemana, quæ est inter Hierusalem & montem Oliveti in medio posita, ubi monumentum Beatæ Mariæ adest, in quo sepulta fuit, sunt columnæ quatuor virides. Super unam verò de his columnis in sinistro latere posita est imago, quasi Christum, Filium DEI in manibus portans. Quæ tantam habet claritatem sicut speculum, quæ manibus hominum non facta, neque depicta, sed primùm apparuit in ipso lapide picta, & valde ibi præ amore Sanctæ Mariæ veneratur.

Cap. XXII.

De quadam muliere.

PIissimæ DEI Genitricis miraculo, in ipsis aëreis spiritibus patrato, nostro pro posse jam prælibato, quid in aquoso etiam elemento ipsius misericordia exercuerit, paucis aperiendum videtur. In loco qui Tumba dicitur, quædam Ecclesia in honorem S. Michaëlis Archangeli honorificè admodum constructa est. Ille verò locus Oceano undique cinctus, ipso æstu, qui

qui Græcè *Rheuma* dicitur, nimis terribilis, & propter accessum maris *Marina* nuncupatur, & propter recessum *Ledonocus*, omnibus advenientibus, & limina Sancti Archangeli petere desiderantibus bis in die sinum prætendens: Non autem, ùt cætera maria, paulatim accedens, sed præcipiti cursu cum magno fremitu ac strepitu terrificoque sonitu accurrens, sæpè intercipit iter agentes, & ideo locus iste *Periculum maris* appellatur. Omnium itaque terrarum populi hunc locum in solemnitate S. Michaëlis Archangeli jugi devotione frequentant, Angelica suffragia per hoc se posse adipisci sperantes. Ea igitur festivitate ipsius Archangeli turbis ad ejus limina properantibus, ecce jam in medio arenæ maris positis affuit quædam mulier paupercula, vicino partu omnimodis gravida. Et ecce subito sonitus maris terribilis intonat, & cunctis præpeti cursu modò amentium fugientibus, solemnitate tamen peracta, ipsa miserrima mulier nihil humani auxilii habens, sola remansit, usu etiam pedum præ nimio timore, dolore, & labore destituta. Irruerant enim in eam, ùt alia quædam divina pagina narrat, dolores persubiti. Quid ageret, quo se verteret ignorabat. Clamabat ejulato magno, miserabiliter auxilium petens. Sed unusquisque se ipsum cu-

cupiens tueri, audire dissimulabat. Quod fortè non casu, sed magis divina gestum constat voluntate, quatenus ex hoc Christi bonitas, maximè etiam Genitricis ejus misericordia omnibus clarescceret.

Igitur absente humano auxilio recurrit ad divinum, Dominum lacrymabili voce invocans, & ejus Genitricem, sanctumque Michaëlem Archangelum. Populus autem omnis in littore consistens manus ad Sydera tendebat, Domini, & ejus misericordissimæ Matris auxilium flebiliter invocabat. Universis ergo Christi adjutorium implorantibus advenit Domina nostra Dei Genitrix semper Virgo Maria ultra omnem Angelicam & humanam naturam pia, &, ùt ipsi mulieri videbatur, manica super eam projectâ ita intactam â terrisono impetu maris reddidit, ut nec minima etiam gutta totius abyssi illius vestimenta contingeret. Ibi quasi in tutissimo habitaculo posita peperit filium, sine timore illic permanens, donec iterum mare suos fluctus in se retrahens liberum iter eundi mulieri præberet. O mira virtus DEI! Servavit enim olim Prophetam Jonam tribus diebus & tribus noctibus in ventre ceti, istam autem mulierculam in medio aquarum reservavit per Stellam maris Mariam, magnam parentem DEI. Erant quondam aquæ antiquo populo Dei

pro

pro muro â dextris, & â sinistris: huic autem pauperculæ ad instar domus per Reginam cæli extiterunt in necessitatibus suis.

Refertur â quibusdam, Sanctum Michaëlem Archangelum quendam peregrinum per sublevationem aquarum liberâsse â periculo maris: sed hanc mulierem Domina Mundi in ipsis fluctibus liberavit â periculo mortis. Quis tantam DEI Genitricis pietatem ennarrare sufficit? Quis tantam Reginam cœli & terræ pauperculæ mulieri tam citò in necessitate tanta succurrentem non miretur? Venit itaque cum puero ad littus, quæ sola in mari relicta erat, miraculi spectaculum omni populo præbens. Æstimabant autem eam in Ponto necatam.

Hic revera quilibet sapiens illam veridicam sententiam prætendere potest: *Ubi deest humanum auxilium sine dubio adest divinum.* Cerneres namque super tam mirabili facto unumquemque ultra, quàm fas sic, gratulari, mirari, & quasi incognitum referri alteri. Omnes in commune piissimam misericordiam DEI Genitricis semper Virginis prædicare. Denique pergit mulier turba comitante ad Ecclesiam S. Michaëlis. Fiunt nota Fratribus loci Sanctæ DEI Genitricis miracula, pulsantur signa, cum maximo tripudio clamatur:

Quàm

Quàm pia est Domina nostra Sancta Maria! Succurre ergo DEI Genitrix, & nobis miseris peccatoribus famulis tuis in tuam misericordiam sperantibus, ut non nos demergat tempestas aquæ, neque absorbeat nos profundum, neque urgeat super nos puteus os suum: sed tua misericordissima pietate, & sanctissima intercessione adjuti ac confortati serviamus Filio tuo, vero regi, qui vivit, & regnat &c.

Cap. XXIII.

De quodam Celerario.

OLim fuit quidam Monachus in quadam congregatione, quem Domina nostra suum familiarissimum esse tali modo dignata est ostendere. Contigit aliquando instigante diabolo illum in cellario tantum bibisse, ut putaretur fere omnino sine sensu esse. Cùm autem advesperascente die ita ebrius de cellario exiret, ac versùs ecclesiam per claustrum tenderet, visus est ei Diabolus in specie cujusdam miræ magnitudinis tauri occurrere, ipsumque cornibûs transfodere. Tunc ecce subitò vidit quandam puellam decora facie venientem, ac super humeros diffusa cæsaries, & manu tenentem niveam virgam, qua increpans, & cædens, ipsum diabolum, cur ergo suum famulum talia præsumeret,

meret, iussit, ut citò discederet, nec ei quidquam mali amplius faceret. His dictis disparuit terror dæmonis. Denique cùm captum iter ageret, & Ecclesiæ propinquaret, Dæmon quasi canis vehemens, & nimis terribilis ex improviso contra illum prosiliit, & iterum prædicta puella, quæ antè ei apparuerat, præsens affuit, ipsumque dæmonem procul ab illo repellens liberum ire fecit. Sicque discessit diaboli phantasia, & puellæ visio pulcherrima. Tandem Ecclesiam, quam petebat pro dæmonis expulsione, & per Virginis consolationem securus intrat. Quo intrante adest iterum humani generis inimicus terribilior, quàm priùs, velut Leo immanissimus adversùs eum rugiens, & impetum faciens, quasi eadem hora eum esset devoraturus. At verò puella, quæ eum primò & secundò liberaverat, priùs, quàm ei aliquid mali faceret, accurrit, & virga, quam manu tenebat, ipsum diabolum acriter verberabat dicens: Quia mihi obedire noluisti, hæc ad præsens recipere meruisti: sed si ad eum redire ampliùs ausus fueris, hìc & in æternum majora sustinebis.

Itaque diabolus sic tribûs vicibûs devictus immò verberibus affectus statim ùt fumus evanuit, nec ultra comparuit.

Postea quidem puella monachum per manum sumpsit, & ille illicò convaluit, & quasi nihil bibisset, in suum sensum rediit. Ipsa verò tenens manum ejus cum ipso pedetenus perrexit, & usque ad lectum suum eum adduxit. Ubi ambo pervenientes puella lectum sibi discooperuit, monachum intus collocavit, caput illius suaviter reclinavit, ac crucis signum in ejus frontem impressit, & ait: Crastinâ die illum tali nomine vocitatum, tibi benè notum ut socium, mihi autem ob suum obsequium amicum veracissimum te jubeo requirere, atque ei puram confessionem facere, & quæcunque ille te jusserit facere, vide, ne differas adimplere. Tunc monachus valde jam exhilaratus satis humiliter suæ, ut ita dicam, nutrici respondit: O Domina dulcissima, tibi amodo toto corde obedire desidero: sed quæso, si placet, ut tuo etiam servulo priùs indices, quàm à me discedas, quænam es tu, quæ mihi impendis tanta servitia. Ad hæc illa se Mariam matrem DOMINI Salvatoris nominat, à quo facta est, dum non erat, sicut & cuncta fuerant, per quem ipsa suos servos sic adjuvare poterat. Qua ille voce audita, cum magna cordis lætitia medullitus labiis charitatis illius totus in fervorem dulcedinis ipsius gloriosæ Matris DOMINI succensus, manus in altum

cum

cum ardore fidei concitus elevat, eamque tenere, & ei pedes osculando congaudere, atque ut suam salvatricem, & DOMINI sui Matrem adorare nititur, & amplecti. Sed Mater DOMINI casta, Mater videlicet misericordiæ & pietatis, spes humilium, & consolatio miserorum, quæ eidem magnum jam per se impenderat servitium, dum ab illo teneri creditur, repentè altiùs evolat, rubicundiorque rosa inter cœli lucifera lucidior ipsa se recepit palatia.

Ille verò quæ viderat & audierat, pro tantis sibi collatis beneficiis Domino, ejusque almæ Matri grates reddidit innumeras, & deinceps eam modis omnibus cœpit amare ferventiùs, & ei servire devotiùs. Similiter & ille, qui ejus confessionem recepit, cum omnibus, ad quos istud miraculum pervenire potuit. Quod & nos, Fratres charissimi, ad quos ipsum pervenit miraculum vera relatione, cum magna hilaritate, omni seposita excusatione, ei debemus confidere ut in omnibus nostris necessitatibus ipsius Dominæ nostræ protectionem mereamur hìc, & in æternum habere, quod nobis Filius ejus concedere dignetur, qui vivit, & regnat &c.

Cap. XXIV.

De puero suscitato.

IN Galliæ partibus est quoddam Monasterium in honore & nomine Sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis dedicatum, & ad illud confluunt multi in necessitatibus suis, gloriosæ Dominæ suffragia postulantes. Inter quos uxor cujusdam militis prædicti Monasterii limina frequentiùs terere solebat, ibique vigilias, & orationes celebrare studebat. Misera erat mulier illa mœrens, & mœrore confecta, quia sterilitatis macula notabatur. Ista miseriæ erat causa, ista summa doloris, pro ista & precum instantia: Ad te, inquit, confugio pia Mater misericordiæ, tuam in hac ærumna clementissimam exoro bonitatem. Nôsti Domina, quid deprecetur cordis contriti affectus, quid profundiores singultus, quid lacrymæ postulent largiores. Nimis infelix mulier ego sum, quæ fructu ventris mei privata, ac per hoc confusionis & opprobrii plena inter vicinos & notos apparere erubesco. Vita hæc tædio mihi est, lux ipsa, quam sustineo, fastidium, amica nox, amabiles tenebræ, amaritudini animæ meæ congruæ & mœrori.

Has

Has lacrymabiles voces benigna Mater DOMINI exaudi, opprobrium hujus maculæ dele Origo pietatis melle dulcior. Domina pia, diſtilla ſtillicidium gratiæ tuæ in animam meam, & dulcora amaritudines ejus. Conſolare lugentem Conſolatio mœſtorum. O Virgo fœcunda piiſſima, atque benigniſſima, ſterilitatis meæ remove maculam. Obtine precibus tuis apud Filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui nihil negans tibi, te ſemper honorat, quatenus munus fœcunditatis mihi ſterili ſua gratia largiatur, qui olim annoſam & ſterilem Saram inopinato germine fœcundavit. Hæc, & his ſimilia corde potiùs quàm voce ante oculos glorioſæ Virginis aſſiſtens jugiter & ſine intermiſſione fœmina illa perorabat.

Verùm miſericordiæ Mater tantis, & tam crebris pulſata precibus nequaquam diutiùs illi diſtulit dare ſuæ petitionis effectum.

Concepit ergo illa mulier, & juxta votum filium parit. Ineffabili verò tripudiat gaudio, tum quia ſterilitatis infamiæ nota deterſa eſt, tum quia meritis Beatæ DEI Genitricis dato ſibi maſculo & vocari & eſſe meruit filii mater. Sed inopinatè & repente irruens lætæ nata primordia tenebroſus finis obſcurat. Correptus nam-

que acutis febribus infans in cunabulis acerbâ morte defungitur. Cujus mortem tanquam lethali vulnere sauciata mater arrepto defuncti corpore has precarias, & lamentabiles dedit voces: Ad te iterum confugio, rursus ante oculos tuos lacrymas fundo, iterumque pietatis tuæ januam importunis, & necessariis precibus pulsô meum solum post Dominum refugium, meumque solatium & infinitæ misericordiæ Mater. Heu mihi miseræ, quid accidit! O Domina, quid est quod facere voluisti? Cur tanti doloris gladio matris animam perforasti? Cur acceptum nomen matris tam citò subtrahi decrevisti? Sed quia potes suscitare mortuum, quæ eum, cùm non esset, dedisti, indubitanter credo, spero, & confido. Orbatæ ergo, & miseræ Genitrici redde filium, iterum, ut mater nuncuper, quæ letho unicæ prolis perdidi felicis nominis omen.

Illa autem talia prosequente, & noctem illam continuante in prece, vitalis calor atræ mortis frigus depellens, gelidis membris pueri repentè infusus est. Recepto ergo spiritu defunctus infans, quibus valebat, motibus significabat se vivere, quod sentiens mater, & accedens propiùs, quatenus, utrùm verum esset, quod sentiebat, probaret cernens filium suum vivere, pri-

mo

mo nimio mentis stupore arripitur, deinde lacrymans præ gaudio, lamentabiles voces in voces exultationis commutat. Fama itaque tanti miraculi per vicina loca, remotasque volat per turbas, multos de sedibus suis excitat ad videndam, probandamque miraculi veritatem: Accurrit populus hominem â morte suscitatum videre desiderans. Mirantur omnes, & gaudent, auctorem vitæ prædicant, & collaudant, super omnia autem Genitricem DEI immensis laudum præconiis extollunt, quæ omnibus in quibuslibet necessitatibus vel pressuris eam invocantibus patrocinari non desinit. Mulier verò illa cum reddito sibi filio gratulabunda domum reversa est.

Cap. XXV.

De Sancto Dunstano.

MOris erat Sancto Dunstano loca sancta, quando Cantuariæ morabatur, uno tantùm fideli socio comitatus nocte peragere, & se inibi per compunctionem & contritionem cordis mactare. Quadam ergo vice ad Monasterium beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli, in quo Beatus Augustinus & alii nonnulli de patribus Ecclesiæ Christi Cantuariensis

tumulati sunt, ex more circa mediæ noctis silentia perrexit, ac se domino ibidem diutiùs in oratione prostravit. Egressus verò inde ad oratorium Beatæ DEI Genitricis & semper Virginis Mariæ facturus eadem divertit. Cui appropinquans, audivit voces intus psallentium atque dicentium: *Gaudent in cœlis animæ sanctorum*, & cætera. Ad hoc stupefactus astitit ostio, ac per rimas introspiciens: [erat enim obseratum:] intuetur oratorium totum immensa luce splendescere, & quendam candidarum personarum globum ipsam antiphonam lætis vocibus personare.

Cap. XXVI.

De Eodem.

ALio item tempore præfata Pastorum Ecclesiæ limina simili hora pari voto requirens, postquam peracta oratione inde discessit, memoratam sanctissimæ Virginis Mariæ Ecclesiam preces illic Domino & ejus Genitrici fusurus adire cœpit. Ecce autem ipsa beatissima Virgo virginum comitata universo virginum choro venienti Viro occurrit, & summo cum honore susceptum ad suam Ecclesiam, quò tendebat, ducebat, præcedentibus duabus puellis cantantibus, atque dicentibus.

Can-

Cantemus DOMINO sociæ cantemus honorem.

Dulcis amor CHRISTI consonet ore pio.

Quos versus chorus Virginum resumendo per canticum, binæ cantantes binos, qui sequuntur in ordine versus, subsecutæ sunt.

Primus ad ima ruit magna de luce superbus.

Sic homo cum tumuit, primus ad ima ruit.

Sicque, donec vir DEI in oratorium perductus esset, Virgineus chorus binos, & Virgines binæ binos, juxta quod series hymni sesse habet, versus modulatæ sunt.

Cap. XXVII.

De quodam merso.

DUo Beatæ Mariæ DEI Genitricis miracula narrare disposui, quorum unum unius, aliud alterius cujusdam Religiosi Abbatis relatione agnovi.

Horum autem utrorumque singularis & perpetua Virgo Maria, & verè misericors Mater DOMINI patratrix agnoscitur, & verè maris Stella indiciis evidentissimis comprobatur. Erat enim navis in medio maris Mediterranei peregrinis

onusta, quorum devotio gratiâ orationum partes Hierosolymitanas adibat. Hi ergò cùm prospero cursu maris multa percurrissent spatia, sensit nauta subitò inferiùs descendere, aquas irrumpere, se subvenire nullatenus posse, præsentem omnibus mortem adesse. Festinus ergo cimbam, quam magnarum navium more intùs ferebat, exponit, ipse cum Episcopo quodam & quibusdam nobilioribus in eam descendit. Unus verò eandem cimbam intrare volens in mare decidit, raptusque pelago nusquam comparuit. Nauta verò illos, quos in navi reliquerat, allocutus mortis omnibus imminere discrimen non evitandum innotuit, &, ut sua peccata confitentes suas devotè animas Domino commendarent, admonuit. Fit ergo intolerabilis omnibus timor, fit immensus ad sydera clamor, fit pura de præteritis malis confessio, fit pro æternis bonis recipiendis ad Dominum oratio. Nauta verò admonitione completa, cum his, quos in schapham transtulerat, recedere longiùs festinabat, ne maris hiatu cum magna absorberetur & parva, longiusque remotus expectabat servorum DEI exitum. Nec mora, navis aquis intrantibus absorpta est. Episcopus verò cum cæteris lacrymosa fundens suspiria sociorum animas DOMINO commendabat, quorum corpora

tam

tam horrendo mortis discrimine perire videbat.

Interea æquoreas diligentiùs circumspiciens undas, si saltem submersorum corporum indicia videret, & ecce marinis è fluctibus columbas speciosas, alibi quidem unam, alibi plures vel plures vidit emergere cœlique secreta celeri volatu penetrare. Quas videlicet columbas cum sociorum animas adverteret esse, ô quantus dolor tunc eum invadens penetravit, quia cum sociis non meruerat mergi! Et qui antea, quia socios viderat suffocari, flebat, magìs tristabatur, quia cum ipsis non interierat. Qui cum tandem cimba defensus terræ cum sociis applicuisset, ecce mirum dictu! Socium, quem in mari inter duas naves diximus decidisse, de mari subitò vivum & incolumem vident exire. O quantus stupor tunc omnes invasit, ô quanta de socio recepto lætitia omnium corda perfudit? Quærunt ergo stupentes, quid ei acciderit, quomodo â marinis fluctibus liberari potuerit. At ille: quid, inquit, socii me admiramini salvatum, quem illa salvare dignata est, per quam salus omnium venit. Beatæ quippe DEI Genitricis Mariæ nomen, cùm in aquam cecidissem, inclamavi, & sic ejus memoriam habendo, & nomen inclamando pelagi ad ima deveni. At ipsa Mater

mi-

misericordiæ, quæ memorum suorum immemor nullatenus esse potest, hac hora etiam sub undis astitit, pallio suo me clementer contexit, & intactum sub aquis usque ad littus perduxit. Hæc eo dicente laudes immensæ Dominæ nostræ referuntur, & Beata DEI Genitrix Mater misericordiæ ab omnibus prædicatur. Cujus verè pallium amplissimum Mundo superextenditur, quo certè genus humanum contegitur, quo frigidus obvolvitur ut calescat, quo calidus operitur ut frigescat, quo peccator fovetur, ne desperatione lædatur, quo reus defenditur, ne animadversione divina feriatur. O pallium miserorum! ô omnium desolatorum confugium! ô securum in omni adversitate latibulum! ô quilibet peccator ferire te vult pro culpa Filius ejus judex justus? Fuge sub pallium misericordissimæ MARIÆ Matris illius. Circumdate undique illius pallio, nè ulla parte feriaris ab illo. Parcet enim ei misericorditer, quem protegere voluerit misericordiæ Mater. Lædere te quærit antiquus hostis? Absconde te in sinu illius, quò accedere non audet hostis ille malignus. Naufragaris adversitate mundana? Clama, & exclama nomen misericordissimæ Mariæ, quæ vultu suo repellit omnia adversa. Ecce enim naufragus iste nominandum omnibus nomen invocavit in sua adversitate, nec in

ma-

maris profundo eam, quam invocaverat, subvenire potuit desperare. Deducitur siquidem illæsus ad littus, ea deducente, quæ Mundo naufrago facta est portus.

Cap. XXVIII.

De quodam Abbate.

ALiud quoque Sanctæ Dei Genitricis Mariæ miraculum narro, quod ab ipso didici Abbate, qui hoc idem, quod scribo expertus est in semetipso.

Fuit enim aliquando in medio maris Brittanici nimiâ cum aliis multis oppressus tempestate, adeò ut de vita omnes desperarent. Alii verò istos, alii verò illos, ut liberari mererentur, cum magno gemitu invocabant Sanctos. Alii namque Beatum Nicolaum declamarunt, isti verò pium Andream, vel quemlibet alium inclamabant cæteri. Unusquisque siquidem quem Sanctum familiarem habuerat, eum illa magna necessitate familiariùs invocabat. Deinde aliqui offerebant munuscula, ut est moris deprehensis tempestate marina. Cùm ergo Abbas videret omnes istos vel illos minus potentes Sanctos invocare, neminem autem Matrem misericordiæ, cæteris omnibus miserendi potentiorem, inclamare: Quid, inquit, est fratres, quod geritis?

Quid

Quid cæteros, qui minùs possunt, invocatis, & ipsam Matrem misericordiæ, quæ plus omnibus potest, non invocatis? Bonum quidem est, quod agitis, sed multò melius esset, si omnes una voce Genitricem Domini acclamaretis. Quo illi audito, omnes una voce Dei Genitricem nominant, omnes Matrem misericordiæ iterant, omnes ut sui misereatur, proclamant: Sancta, inquiunt, pia, & perpetua Virgo Maria succurre miseris, subveni jam morituris, sentiamus omnes tuum levamen, qui tuam in nostra tribulatione deposcimus consolationem. Tu Dei Mater alma, tu cœli potens Regina, tu semper in misericordia prompta, tu desolatorum solamen, tu oppressorum juvamen, tu destitutorum munimen.

Ipse quoque Abbas, qui per duos dies & duas noctes ita afflictus erat, quòd nihil præter unum pomum comedit, illud responsorium: *Felix namque*: ejusque versum: *ora pro populo*, devotissimè cum his Monachis cœpit decantare. Mirum dictu! sed DEI Genitrici nihil impossibile scimus: vix ea utrique finierant, & populus precem cum lamentatione, & ecce in summitate mali lux magna ad instar cerei apparuit, quæ noctis tenebras fugans, omnes qui aderant in navi sua claritate perfudit. Jam enim se invicem agnoscere poterant, qui

qui se priùs tenebrarum densitate videre nequiverant. Tota quidem Pelagi cessavit tempestas, cœlique Regina jubente facta est tranquillitas magna. Non multo post dies serenus illuxit, & terræ, ad quam tendebant, navis applicuit. O ergo stella maris cunctis lucidior, cunctis ad subveniendum potentior! Ecce enim stellas minores attendunt, & non illustrantur: Sydus respiciunt marinum, & salvantur. Vocant Sanctos minores, nec juvantur: Invocant Sanctorum sanctissimam, & salvantur. Offerunt dona sanctis aliis, & non cessat tempestas: offerunt preces Matri misericordiæ, & redit tranquillitas. Cessat pius Andreas à pietatis opere, quia in exhibenda pietate piarum cedit piissimæ. Cessit Nicolaus Sanctus, terra marique ad subveniendum promptissimus, quia cedit ei, quæ cunctis est potentior Sanctis. Quicunque ergo hujus maris magni, & spatiosi aliqua deprimeris tempestate, eam voca præ cæteris, quæ hoc magnum & spatiosum mare, à quacunque voluerit, perturbatione facillimè potest sedare.

Cap.

Cap. XXIX.

De quodam Fratre.

FUit quidam Religiosus Frater, qui Sanctam DEI Genitricem valde diligebat, & ejus servitium præter Completorium devotè quotidie decantabat. Quadam verò nocte per visionem ipsa Mater misericordiæ ei apparens, quid ageret suus Capellanus, inquisivit. Ille verò non parùm tremens, ac stupens satis humiliter respondit dicens: Quis est mea, de quo dicis, Domina. Ac illa inquit: te ipsum esse scito, quem mihi servire non abnego. Sed aliquantulum mihi negligens videris existere, qui Completorium meum non vis cantare. Quibus ille auditis, nimio percussus terrore, se culpabilem esse clamat ac deinde supplex veniam petens dixit: O Clarissima Domina, tuis præceptis libentissimè volo obedire, &, quod dicis me neglexisse, devotissimè cupio adimplere, si tantummodo pro tua dulcissima pietate me velis docere, quo ordine hoc secundùm voluntatem tuam possim complere. Ad hæc illa: imprimis, inquit, versum, ùt mos est: *Converte nos Deus:* Antiph. *Completi sunt dies Mariæ.* Post: *Cùm invocarem: In te Domine speravi: Qui habitat: Ecce nunc benedicite.* Capitulum: *Ecce*

Ecce virgo concipiet. Reſponſorium: *Sancta DEI Genitrix Virgo.* Hymnus: *Virgo ſingularis. Vitam præſta puram: Sit laus Deo Patri.* Vers: *Ave Maria.* Ant. *Ecce completa. Nunc dimittis.* Oremus: *Deus qui de Beatæ Mariæ Virginis.*

Cap. XXX.

Item de quodam Fratre.

FRater quidam erat, qui in Cœnobio quodam militabat cœlorum Domino, Dominique Matri tanquam filius decreverat ſervire ſedulò. Dum Conventus illa finierat, quæ nocte cantare conſueverat, hic ſolus ante aram glorioſiſſimæ Virginis aderat, ſolvens quod voverat. Item poſt expletas Canonicas Diei Dominæ dulciſſimæ proprias decantabat laudes & gratias. Multo quidem hoc egit tempore non negligenter, ſed devotiſſimè, donec quadam tentus ægritudine, non valebat debitum reddere. Morbus quippe nimiùm affluens, ora, guttur exteriùs interiusque ſic occupaverat, ut neque vocibus, neque cibis pateret aditus, ſed in toto corpore brevi ſpatio temporis factus eſt quaſi exanimis, tanta erat vis ægritudinis. Prævalente enim dolore febrium vir DEI laborabat nimiùm, ut dicerent

quidam aſtantium: Iſte jam reddit ſpiritum. Cujus rei auditione totus Conventus adeſt continuò, & pro fratre morti proximo flent, & orant ungentes eum oleo. Expletis ergo his cœperunt pſallere, ùt in tali diſcrimine mos eſt, admirantes tamdiu vivere, quem nec videbant ſpirare. Viſus enim defecerat, palpebræ moveri deſierant: jam pallore infecta facie, membra mortis rigebant frigore. Interea cinis aſpergitur, cilicium aptatur, in quo morientis corpus collocari feſtinatur.

Cunctis itaque flentibus, & pro boni Fratris exceſſu preces fundentibus, ecce cauſa univerſalis pietatis, Beata ſcilicet *Virgo* Maria, glorioſa Mater miſericordiæ, ſui Capellani eſt mota ſuſpiriis, indignè ferens illum tali diutiùs languore vexari, & nullo vidente excepto eo, qui mori videbatur, collocat ſe juxta lectum Fratris ſpecioſa nimis in veſte candida, &, ùt ſibi videbatur, ſuæ admota dexteræ auri loquebatur ei talia: Mi dilecte, quid facis? nimia attritus ès diu moleſtia. Injuſtum eſt enim, ut his doloribus te patiar vexari diutiùs, quem ego, & Filius meus tam devotum in noſtro ſervitio conſpeximus. Ego Mater miſericordiæ Capellano meo ſuccurrere huc adveni, ad me reſpice, evades optime. Res miranda, & cunctis ſæculis inaudita, ut ſibi videbatur, ipſa

Ma-

Mater pia, quæ eſt miſerorum juvamen, uberum ſuorum ſanctiſſimo lacte ægri liniebat dolores. Quo facto quaſi tumultum Fratrum ferre non ſuſtinens, ſtelligera repetit palatia, priùs tamen ægrum per hæc verba conſolans: Hoc, inquiens, nunc habeto ob impenſum mihi ſervitium, poſſeſſurus non poſt multum perenne gaudium.

Nam qui meo filio, & mihi ſervire ſtuduerint ſedulò, ſecuri ſint de facti præmio: vitâ vivent, quæ caret termino.

Nunc tam admirandæ rei audito nuncio animus pavore percellitur, obſtupeſcit auditus, & hoc verum eſſe mens inconſiderata trepidat, eò quòd miſericordiæ Altiſſimi Matrem ſui Capellani ulcera ſacro lacte rigâſſe dixi: quia nec tantæ dignitatis perſona, nec tantæ philoſophiæ, vel precum accedit eloquentia, quæ ab excellentiſſima DEI Matre tale quid debebat promereri. Sed ſi ad memoriam deducimus, quomodo altiſſimus DEI Filius virgineum deſcendere dignatus eſt in uterum, & poſtea naſci, circumcidi, tentari, â Phariſæorum inſidiis perſequi, ac demum pro peccatoribus crucifigi, deinde ſepeliri, reſurgere â mortuis, atque ad dexteram Patris aſcendendo ibi collocare formam noſtræ mortalitatis, omne diſce-

dit ambiguum, cum pro peccatoribus tanta fecisse recolimus Dominum.

Verùm sub nomine lactis aliquando misericordia, aut aliquando dulcedo supernæ contemplationis solet exprimi. Unde & Paulus ait: *Tanquam parvis in Christo vobis potum dedi, non escam*, id est, misericordiæ leviora præcepta indulsi. Quid ergo mirum si gloriosa Maria, Mater omnis pietatis & misericordiæ per similitudinem lactis ex ubere suo, ita misericordiam devoto famulo impendit, cujus sacro lacte tenera ipsius fontis misericordiæ, JESU CHRISTI scilicet DOMINI nostri, nutritur infantia, *qui* etiam postea dignatus est pro peccatoribus misericorditer crucis ferre supplicia?

Fertur quoque in gestis Beati Dionysii Martyris, Atheniensis quidem priùs, postea vero Domino donante Parisiorum Præsulis, ipso Beato Dionysio in suis epistolis referente, quia dum â quibusdam perfidis Sanctæ Ecclesiæ fide violata Beatus Carpus Presbyter benignum JESUM precaretur, ut suæ potestatis vindictam in illos fibraret, apparuit ei Dominus JESUS soporato in orationibus cum multitudine Angelorum, & manum suæ misericordiæ ipsis miseris, quasi in profunda caverna jacentibus porrigens, atque Angelorum mi-

ministerio sustentans eos ait Beato Carpo: *Carpe manu in istos misericorditer constituta, & non per misericordiam retracta, percute adversùm me. Nam paratus sum pro hominibus resalvandis iterum pati, & complaceo super his magis, quam super aliis, qui non peccaverunt.*

Et cùm hæc dicta sint, quid ergo dubitat miserrimus homo, gloriosam Matrem misericordiæ misericordiam in similitudinem lactis præbere suis, cum ipsa Misericordia, benignus scilicet JESUS Dominus noster, qui sedet ad dexteram Patris, qui mortem vicit, nec jam amplius mori posse probatur, mori velle se assereret pro perfidis? Verùm hoc dixisse sufficiat ad comprobanda DOMINI nostri & suæ Sanctæ Genitricis magnalia.

Nunc ergo redeamus ad narrationem nostram, ubi gloriosam Mariam diximus post visitationem sui famuli se recepisse in æthera.

Æger verò plurimùm confortatus à Matre DOMINI mox caput erigit, nec jam æger à lecto prosilit, & Medicam dùm nusquam respicit, ejulans hæc Fratribus retulit dicens: Hìc astitit Regina gloriæ me servum suum sanare & vos nihil ei reverentiæ exhibentes peccâstis utique, dum vidistis, quid gratiæ faceret, & neglexistis parare ei, ubi recumberet. Et putans, quòd ipsi

similiter, ſicut ille viderat viſionem, vidiſſent, ait: Heu me miſerum, quia non fui valens ſalvatrici meæ parare aliquod ſedile pulcherrimum, quæ mihi immerito ſoſpitatis impendit ſolatium! Si enim tumultus veſter non fieret, forſitan tam citò non receſſiſſet. Fratres verò hoc viſo terror ingens occupat, ignorantes, quod factum fuerat. Et quoniam ſtupor hos invaſerat, verba illius nullus perpendit, pſalmodiæ vox nulla reſonat, & qui miſerè flebant, flere permoti trepidant. Interea recuperata virtute æger in ſe redit, & quod factum ſit erga ſe, cognoſcit, atque Fratribus recitat per ordinem, ſicut viderat, ſicque mentes eorum revocat. Superfluum eſt nobis quærere, quas laudes tantæ Virgini tunc ſtuduerunt exhibere hi, qui videbant dilectum Fratrem, quem mortuum putaverunt, ſanis membris vivere. Benedicta ſit ergo hæc Domina, quæ ſuis fert ſic medicamina, quæ & nobis fiat propitia, donans nobis vitæ remedia. Nati ſui ſuoſque ſervulos, noſque per cunctorum dierum curricula conſervet gaudentes in ſæcula, cujus ope, cujus antitodo Mundo ſalus rediit perdita. Ipſi laus unà cum Filio ſuo glorioſo, honor, virtus, atque jubilatio per omnia ſæcula ſæculorum,
Amen.

Cap.

Cap. XXXI.

De puero Judæo.

COntigit res quondam mira in civitate Bituricensi, quam solebat narrare quidam Monachus S. Michaëlis de Clusa, nomine Petrus, dicens, se eo tempore illic fuisse. Die ergo solemnitatis Paschæ cùm Christiani pueri in quandam Ecclesiam accederent ad percipiendum corpus & sanguinem DOMINI nostri JESU CHRISTI, quidam puer de gente Judaica, qui cum eis litteris instruebatur, inter reliquos accessit ad altare, & Corpus Dominicum ignorante Presbytero accepit. Erat autem super altare quædam imago S. Mariæ, velamen super caput suum habens, de qua videbatur ipsi puero Judaico, quòd ipsis venerando habitu fœmina accedentibus ad communionem unicuique cum Sacerdotis manu distribueret Eucharistiæ partem. Reversus ergo ad paternam domum prædictus puer, cùm interrogaretur, unde veniret, respondit, se cum sociis suis ad Ecclesiam îsse, & eis communionem percipientibus & se similiter communicâsse. Hæc audiens Pater ejus graviter iratus eum cum furore arripuit, & videns non longè fornacem ignis ardentem, illuc rapido cursu perveniens eum in ignem ja-

ctavit. Statim ipsi puero Sancta DEI Genitrix in specie imaginis, quam super altare viderat, apparuit, eumque ab igne defendens, nec etiam parum doloris sentire permisit. Mater verò pueri nimio dolore constricta ejulando clamare cœpit, multosque tam Christianorum, quàm Judæorum ad lacrymas commovit. Diligentiùs verò ad fornacem respicientes viderunt puerum in medio ignis viventem, & nullam læsionem habentem. Accurrunt, gaudentem educunt sciscitantes, quomodo ignis incendium evasisset. At ille respondit: Quoniam venerabilis Domina, quæ super altare stabat, & *nobis* communicantibus particulas porrigebat, mihi auxilium præbuit, & incendium omne â me depulit, nec etiam dolorem fumi sentire permisit. Hoc audientes Christiani intellexerunt Sanctam DEI Genitricem ejus fuisse protectricem, & Judæum, patrem pueri, qui eum in fornacem miserat, in eandem fornacem injecerunt. Qui statim ab igne consumptus est. Quod videntes Judæi, quia Christiani Dominum & sanctam ejus Genitricem collaudaverunt, & [ipsi] ex illa die in Domini fide ferventiores extiterunt.

Cap.

Cap. XXXII.

De quadam Sanctimoniali.

FErtur fuisse apud S. Cadowardum Cestione quædam sanctimonialis fæmina super omnes, quæ ibi habitabant, sanctitate & religione famosissima. Hæc cuidam Monacho S. Mariæ Becci, valde religioso sub persona alterius de se manifestavit hoc modo ea, quæ referre aggredior.

Scio mi Domine Pater in hoc Monasterio quandam DEI famulam habitare, quæ, ut tu illam, ita te ipsa diligit sincera dilectione, cui pro certo scias absque dubitatione tale quid contigisse. Quadam ergo nocte, dum in lecto quiescere vellet, vidit subitò apertâ visione ante se Sanctam Mariam, Reginam cœli & terræ astare, ipsamque se vocantem proprio nomine & alloquentem tali affamine: Dormisne inquit, Eulalia? dormis o Filia? Cui illa DOMINI famula, quia ipsam Dei Genitricem esse recognovit, cui nocte ac die devotissimè serviebat, verbis hujusmodi respondit: Non dormio, Domina mea Charissima, sed scire desidero tua humillima ancilla, cur ad me peccatricem atque indignam venire dignata es ô Mundi Regina. Ad hæc ait Beatissima Maria:

Ne timeas, inquit, piam Matrem ò Filia, cui omni die mente humillima quàm plurima reddis servitia: sed moneo te, ut si illa, quæ mihi impendis servitia, tibi vis proficere, morosiùs studeas dicere, quia quando me salutas angelica salutatione, percipere me scias magnum gaudium, & maximè dum mihi *Dominus tecum* proliχiùs dicitur, gaudii, quod tunc habeo, magnitudo nullis potest enarrari verbis. Videtur enim mihi, quòd in me sit Filius meus, sicut fuit, cùm de me nasci dignatus est DEUS & homo pro peccatoribus, & tunc ineffabile gaudium in Angelica salutatione accepi, ita & nunc recipio, cum dicitur *Dominus tecum*.

Hæc audiens illa CHRISTI ancilla repleta est ingenti lætitia, atque, ut ita dicam, matri dulcissimæ, quæ eam filiam vocaverat, cum supplicatione reddidit gratias innumeras pro tam pia admonitione, quam ei attulerat. Sicque Mater totius misericordiæ discedens ab illa cum magna claritate rediit ad cœlestia regna, ubi, sicut credimus, cum Filio manet per sæcula. Denique soror illa non immemor, quæ viderat, immo audierat, orationes, quas solebat facere, ut nostræ Dominæ magis placerent, & sibi proficerent, illico studuit abbreviare. Habebat namque consuetudinem, quòd sine ulla intermis-

miſſione præ amore illius omni die, *Ave Maria gratia plena*, *Dominus tecum* centum quinquaginta vicibus dicebat, & idcirco ut iſtum numerum omni die poſſet complere, videbatur illud Angelicum Ave velociùs, quàm deberet, pronuntiare: ſed tum Matris admonitione roborata duas partes dimiſit, tertiam autem cum magna dilectione cantare deinceps moroſiùs inſtituit.

Et nos Fratres Chariſſimi, qui digni non ſumus, ut illius ſervi vocemur, ſi ejus ſervitiùm poſt hanc admonitionem juxta ejus voluntatem celebrare ſtuduerimus, credo, quòd iſtius Sanctimonialis fœminæ fratres nos eſſe in æterna beatitudine dignabitur facere. Quod ille, quem ipſa genuit, Virgo caſtiſſima nobis peccatoribus concedat per infinita ſæcula ſæculorum Amen.

Cap. XXXIII.

De Judæo & Chriſtiano.

FUit quidam religioſus Archidiaconus Eccleſiæ Leodicenſis, qui orationis ſtudio ſanctorumque locorum viſendorum gratiâ multa peragrans loca Byzanzenam tandem devenit urbem. Ubi, cùm Eccleſiam intraret, vota inibi precum Domino reddere, tanto eam tripudiantium

&

& exultantium ſtrepitu atque plauſu tangentium tympana & cytharas, omniſque generis muſicorum ſonitu reſultantem invenit, ut non tam ſtudioſè orantium, quàm domus eſſe joculatoriè videretur ludentium. Miratur ergo rei novitatem, Græcorum quendam linguam Latinam minùs intelligentem Latinè alloquitur: novitatis hujus cauſam curioſè ſciſcitatur. At ille inquit: *Teſtimonium, teſtimonium.* Archidiaconus verò, quid diceret, non intelligens, alium quendam celeriùs adit, rei ejusdem cauſas exquirit. Ille autem linguam plenè Latinam intelligens hanc ſtupenti narratione evolvere cœpit.

Fuit enim civium quidam, qui nominis ſui famam volens extendere, largas quas habebat opes, largos in ſumptus expendere cœpit. Verùm poſtremò magnitudine ſumptuum magnitudinem ſuperans opum, largiendo defecit opibus, cùm ei dandi non deficeret animus. Sumpto ergo ab amicis mutuo ære alieno magnum nomen, quod ſibi fecerat propria largiendo, retinere conatur aliena expendendo. Sed cùm omnino, quòd mutuo acceperat, jam & ipſum deficeret, nec etiam amicum, â quo mutuaretur, immò Chriſtianum invenire valeret, Judæum quendam prodeuntem adiit, &, ut ei ali-

quid

quid mutuò daret, obnixè oravit. At ille: faciam, inquit, quod petis, si mihi vadem condignum attuleris. Vadem, inquit, certè condignum non habeo, sed quidquid mihi præstiteris, me tibi redditurum die constituto verissimè spondeo. Sine vade, inquit, nihil omnino tibi præstare volo, quia â te falli timeo. Ille autem: quia vadem alium invenire nequeo, vellesne Dominum meum Jesum Christum, quem colo, pro vade accipere? At ille: Jesum, ait, Christum Dominum esse non credo, Sed quia eum hominem justum & Prophetam fuisse non dubito, hunc si mihi pro vade dederis, indubitanter accipio. Ille ergo: Eamus ergo in Ecclesiam in honorem Sanctæ DEI Genitricis constructam, & quia Jesum Christum præsentem tibi pro vade reddere nequeo, ipsius imaginem vice illius, immo ipsum per imaginem suam tibi vadem, & pro me fidejussorem tribuo: Quòd si diem â te constitutum præteriero, servus tuus certè in posterum ero: nihilominus tamen tibi pecuniam tuam post terminum reddam. At Judæus: fiat, inquit, ùt dicis, præcede, sequor te, quò vadis.

Ambo ergo, amborumque amici pariter cum eis ad hanc venientes Ecclesiam, astiterunt Sanctæ DEI Genitricis venerandæ imagini, Filium suum in gremio tenenti.

ti. Manum verò ipsius imaginis Christianus tenens & ipsam pariter imaginem tenendam Judæo illi tradens, vadem pro pecunia dedit, ac deinde genu coram imagine humiliter flexo cunctis audientibus ait: Domine Jesu Christe, quem pro pecunia ista vadem dedi, pro me quoque huic Judæo fidejussorem tradidi, te suppliciter exoro, ut, si casu præpeditus fuero, & pecuniam istam die statuto reddere huic ipso nequivero, tibique illam tradidero, tu eam pro me redde, quomodo, vel quo ordine placuerit. Tanto itaque vade, tantoque fidejussore dato & accepto Judæus cum Christiano â templo discedit, domum vadit, pecuniæ quantum postulat, Christiano tradit, diem reddendæ illi constituit. Quid plura? Christianus accepta pecunia varia mercimonia comparat, navim parat, merce multiplici onerat, vela ventis committit, varia per æquora fertur, ad barbaras regiones prospero cursu longè â Byzanzia efficitur. Venditis ergo suis ibi mercimoniis ditatur mercibus novis, naves multiplicat, opibus peregrinis onustat. Dies transeunt plurimi, dies per singulos negotia meditantur, dies reddendæ pecuniæ â memoria elabitur.

Verùm cùm jam non nisi unus dies superesset, repentè in memoriam venit, quia postera lux dies esset termini â Judæo consti-

ſtituti. Nec mora ſtupore perculſus terræ collabitur, exanimis ferè, pro eò quòd acciderat, redditur. Concurrunt famuli, conſternuntùr cuncti, cauſas doloris requirunt, reſponſum nullum accipiunt. Tandem verò velut â morte reſurgens ſenſum recipit, meditatur, quid agat, fit incertus, quid faciat. Vidit diem reddendi debiti propè inſtare, vidit locum ejusdem reddendi longiùs diſtare. Ad ſe tandem reverſus ait: Quid meditaris inania? Nonne Dominum tuum Jeſum Chriſtum & ejus Genitricem pro te fidejuſſorem dediſti? Ipſis ergo pecuniam trade, & ut eam tuo creditori, quomodo velint, reſtituant committe.

Confeſtim ergo ſcrinium comparavit, pecuniam Judæo debitam juſto pondere appenſam includit, & ei, qui mare & aridam fecit, gubernandam committit. Mirum dictu, ſed Domino nihil difficile. Nocte enim ſub una per multa æquoris ſpatia ſcrinium Byzanzæ urbi allabitur, Judæi ſuper mare habitantis manè aſtitit domui. Ex qua videlicet domo manè mancipium, fortuitò egreſſum, mare attendit, ſcrinium inter undas natare conſpicit, manu attingere nititur, ſed ejus manui ſcrinium ſe ipſum ſubtrahere ſibi videtur. Mancipium verò domum currit, domino narrat, quid foris viderit. Adeſt ſtatim & ipſe Judæus littoreis

reis inhiat fluctibus, ſcrinium conſpectum manu extenta arripit, delatum ſecum ad domum aperit, vacuatumque pecuniâ lecto ſuo ſubponit.

Poſt aliquantum verò temporis Chriſtianus peracto negotio, Byzanziam revertitur ad urbem, eique ab amicis civibusque magna cum exultatione occurritur. Audiens vero Judæus, quia is, cui ſuam præſtiterat pecuniam, regreſſus fuerat, & quia ſibi Domino favente peregrinis eam mercibus admodum multiplicaverat, valde impatiens ad eum acceſſit, & præmiſſis aliquibus gratulabundis verbis hæc improperando intulit dicens: O, inquit, *Chriſtiane*, ò veraces Chriſtiani! At Chriſtianus ait: cur iſta proſequeris? Quia, ille inquit, pecuniam mutuò â me accepiſti, & eam minimè reddidiſti. Tunc ille ait: Certè quod mihi præſtiteras, jam die conſtituto reddidi, nec quicquam jam debeo tibi. At ille: habeo, inquit ille, ego teſtes multos præſtitæ pecuniæ, tu verò nullum redditæ. Ille autem: ipſum habeo teſtem, quem & *fi*dejuſſorem dedi, cujus tu teſtimonium agnoſcere poteris, quia præſtitum omne jam tibi reddidi. Mecum ergo veni, & ejus ipſe teſtimonium audi. Ambo itaque Eccleſiam adeunt imagini noſtri Salvatoris cum multis aſſiſtunt Chriſtianis. Et dixit: Domine Jeſu Chriſte, ſervum tuum exaudi,

&

& ſicut DEI, & hominis verus es Filius, teſtimonium exhibe veritati, utrum huic Judæo reddiderim, quidquid mihi præſtitit. His ille peroratis, voce clara audientibus cunctis mirabile dictu! imago reſpondit: *Teſtimonium perhibeo tibi, quia præſtitum omne illi reddidiſti die conſtituto, his indiciis, quia ſcrinium, quo pecunia fuerat clauſa, ipſius jacet ſub lecto.*

Audiens hæc Judæus ſtupet, ſigna recognoſcit, & horret. Quid plura? Judaicum errorem agnoſcit, & fidei Chriſtianæ cum omni domo ſua colla ſubmittit. Propter teſtimonium ergo Salvatoris, Chriſtiano atteſtantis, *martyrium*, id eſt, teſtimonium vocatur tam Eccleſia, quàm hujus diei ſolemnitas. Et hæc eſt maxima hujus tantæ lætitiæ cauſa. Tanto itaque miraculo Græci illius narratione Archidiaconus agnito in laudem prorupit, qui nullum in ſe ſperantem deſerit, & omnibus ſuam Genitricem verè colentibus in omnibus anguſtiis ſubvenit.

Cap. XXXIV.

De quodam Clerico.

QUoniam cogitatio ſancta mentem contra illicita munit humanam dicente Scriptura: *quoniam cogitatio ſancta cuſtodiet te:* & ſapientis eſſe didicimus ſen-

tentiam, non posse fieri, ut habeat facta mala, qui habet cogitationes bonas, oportet nos studio ferventiori cogitationes intendere, & oculos cordis, quo Deus videndus est, necessaria puritate exornare. Bonarum ergo cogitationum materiam cum Sanctorum memoria copiosè administret tunc nostra recordatio maximè ad hanc dirigenda erit, quæ est Sancta Sanctorum, & ad fructus perducit omnium bonorum. Hæc est, inquam, post Dominum omnium cœlestium virtutum Domina, piissima, & gloriosa, pretiosa DEI Genitrix, meriti singularis, Virgo Maria, de qua dulciter cogitare, Domino salubriter est *ministrare*: quia qui dignè laudes ejus celebrat, efficaciter se Domino sociat. Hæc namque est inocentium forma, doctrina justorum, refugium peccatorum. Quantam namque peccatores in eam fiduciam habere debeant, si servire ei non negligant, subscripto potest sciri, exemplo.

Quidam namque religiosi studii Clericus, ùt religiosorum prodit relatio, sancta loca orandi gratiâ peragrans, ad Cameracensis regionis vicina eadem pervenit devotione, ubi quosdam religiosa districtione Domino servientes inveniens se eis hospitali jure sociavit eorum sancto proposito & laudabilibus caritatis officiis delectatus. A quibus humanè susceptus, & magnæ be-

benignitatis ministeriis recreatus servorum DOMINI sancta consortia invenisse gavisus est. Cùm autem nocturnis excubiis debitas Creatori laudes cum illis persolvere surrexisset, audivit eos primò synaxis officia in honorem beatissimæ DEI Genitricis semper Virginis MARIÆ ritu solemni honorificè complere, deinde nocturnas imminentis temporis laudes mediocri modulatione perficere. Quod cùm stupefactus hoc fieri miraretur, præsertim cùm nulla eodem tempore Beatæ MARIÆ festivitas fuerit, quare tam solemne tunc officium de ea celebrandum judicarent, ad præsens siluit, opportuno tempore caussam sibi ejusdem negotii insoliti diligentiùs inquisiturus.

Factô ergo manè illum, qui principalem curam gerebat, convenit, & contra usitatum aliarum Ecclesiarum morem, cur ab eis solis iste divini servitii ordo teneretur, sciscitatus est. Cui ille: quocunque modo, inquit, alii sua in cœlestibus obsequiis ordinent ministeria, ego singulari debito constringor in glorioso DEI Genitricis, perpetuæ Virginis MARIÆ ministerio totum vitæ meo conatum expendere. Ejus namque ineffabili clementia & iram supremi judicis evasi, & misericordiæ ejus auxilio jam mihi ferè denegatam indulgentiam consecutus sum. Quod ut tibi

pleniùs manifestem, periculi mei ærumnam & remedii gratiam, quia tibi id gratum esse non dubito, paucis aperio verbis.

Dum enim vitam meam in sæcularis delectationis amore per divisa vitiorum præcipitia ducerem, & me ipsum quotidie flenda insania collidens, vitam beatam fugiebam, & amorem sempiternæ miseriæ cursu impigro festinabam, duos habui socios simili mecum perditionis itinere gradientes.

Itaque tres eramus, â summæ Trinitatis gratia longo exilio, quô nostra mala nos constrinxerant, peregrinantes, & unitatis damnosæ acta sectantes. Cum ergo miseratori omnium placuit, mortiferum vitæ meæ cursum pio salutiferæ correctionis obstaculo revocare, tali visione dignatus est deterrere.

Videbam ergo, & ecce Dominus judiciaria sede sublimis Anglicis agminibus, & Sanctorum choris circumseptus apparebat, velut de vindictâ cujuslibet illatæ injuriæ tractaturus. Territus ergo tantæ præsentiâ majestatis, quæ ibi dicebantur, trepidus audire cupiebam. Dominus itaque de me & sociis meis sermonem sumens, tali præsentes voce alloquitur dicens: *De iste, qui præsens nos aspicit, & ejus duobus sociis, quo judicio digni sint, volo, ut discernatis: quia nullo timoris mei respectu perversitatibus fi-*

finem imponere, nulloque mei amoris affectu ad aliqua bona se volunt convertere. Sæpe illos, ut ad me redirent, diversis monitis visitavi, diu illorum pertinaciam toleravi, nullum in eis emendationis effectum inveni. Ad hæc districti judicis verba præsentium Sanctorum responsa sunt reddita, & nostræ damnationis sententia est prolata. Stabam trepidus, & ecce gloriosam perpetuam Virginem Mariam thronum Filii sui adire conspexi, & his pro me apud eum verbis intervenientem audivi: Pro isto, inquit, Fili pie, clementiam tuam exoro, ut hanc erga eum sententiam damnationis mitiges: quia licèt peccaverit, tamen laudibus, horas meas dicendo, studio quotidiano vacavit. Lege etenim tua sanctissima sanxisti, nullum omnino bonum, quamlibet parvum, irremuneratum perire. Hic autem, licèt peccator, tamen tanti boni, quo mihi servivit, necdum aliquid mercedis recepit. Vivat ergo gratiâ mei, qui per propria merita addicitur morti. Statim ergo judex benigno annuens vultu: *Fiat*, inquit, *dulcissima Mater, tibi ùt placet. Tuis enim petitionibus annuens promitto & salutem perpetuam largiturum, si vel modo ejus correctionem conspexero.*

His dictis Mater salutis ad me conversa ait: vade, & ampliùs noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Poſtquam verò ſenatus ille cœleſtis ſolutus eſt, & ego terribili viſione ſublata mihi ſum redditus, præteritam vitam meam celeri converſione mutavi, & reſiduum vitæ meæ tempus huic, quam in nobis vides, converſationi dicavi. Porrò tamen ſocii mei, qui mecum damnationis ſententiæ ſunt addicti, ùt ipſe poſt comperi, deterioribus ſtudiis ſunt involuti, uſurariis lucris pertinaciter inhiantes ad perditionis diſcrimina miſerabili curſu rapiuntur. Non ergo mirum ſi laudibus hujus piiſſimæ Dominæ cum omni ſollicitudine curam impendo, per quam perpetuæ morti me ſubtractum, & æternæ vitæ reſtitutum eſſe cognoſco. Sex autem ſervitii ejus, quod apud nos inveniſti, executores ſumus, ex quibus unus contra generalem Sanctæ Eccleſiæ ritum noſtra nos divinæ ſervitutis officia diſpoſuiſſe conqueſtus eſt, & ordinem conſuetudinis noſtræ cœpit velut invitus ſequi. Cui eadem Domina noſtra clementer apparens taliter eum allocuta eſt: Si meo, inquit, ſervitio juxta morem Fratrum tuorum tibi non placeat intendere, noli ſaltem mihi devotos inde revocare. Hac autem idem Frater correctione compunctus jam eidem ſervitio ſtudiſioùs aliis intendit, & per hoc ejusdem Dominæ gratiam conſequi modis omnibus contendit.

Hæc

Hæc audiens memoratus Clericus Domino Christo in mirabili pietate Beatæ Virginis, ejus Genitricis Mariæ, gratias egit, & ad laudes ejus frequentandas devotiùs se deinceps accendit.

Cap. XXXV.

Item de Clerico.

HUc venite, & audite omnes servi Domini. Volo namque narrare, quod â quodam didici, ut MARIA, DOMINI sponsa, deinceps ab omnibus sit ampliùs amanda & laudanda.

Præsul quidam erat, qui quendam habebat Clericum, quem amabat valde, & fovebat sicut natum proprium: quia & ipse ei sicut suo patri multùm erat subditus, immo Christo serviebat, ut debebat, funditus, & S. Mariæ Matri suæ diebus ac noctibus decantabat horas suas dulciter cum fletibus. Sed antiquus inimicus, qui vocatur Sathanas, hoc, ut vidit, invidit, & mox parat insidias, quibus illum posset secum ducere ad Tartara, ut cum eo toleraret æterna supplicia. Hic ergo in ejus corde mittit, ut sponsam accipiat, ex quo more solito liberos acquirat. Sic ergo diabolica suasione deceptus adamare cœpit quandam virginem, quam desponsatam habe-

bat quidam vir dives, & satis nobilis. Verùm, quia ille econtra erat ignobilis, quærebat artem, per quam illi fieret amabilis: quia metuebat, si eam apertè requireret, ne pater puellæ eum turpiter contemneret.

Quadam verò die cùm arderet in amore virginis, fieretque propter illam exanimis, quærit locum secretum, & cœpit legere in libello, quem tunc portabat secum absconditè, in quo parum erat scriptum arte nigromantica, per quam fecit ante se adesse dæmonia, orans eos supplicando, ut ei succurrerent, & ut puellam eum sine mora habere facerent. Cui tale dant responsum spiritus diabolici, quòd libenter perpetrarent, quidquid vellet fieri, si eum, cui adhæreret, DEI Filium, & Mariam matrem ejus relinqueret serviciumque suum. At hæc ille: quamvis, inquit, crudelissimè uror, tamen hæc non possum neque volo nullo modô facere, sed quæcunque præter ista jubetis, facio, & me servum domini adoptivum deinceps habebitis. His auditis inimici iterum responderunt, quòd libenter adimplerent suum desiderium, si quod ore promittebat, non differret facere, & juraret eis hoc, quod nollet eos de hoc fallere: quia multi Christiani sic eos deceperant, quorum vota ipsi sæpe impleverant. Tunc illos facit firmos, ùt antè promiserat, tantum ut illam haberet, pro qua

qua ſic arſerat. Mox ergo inimici egreſſi invaſerunt puellam, & cor ejus accenderunt in amorem Clerici in tantum, ut clamaret cunctis audientibus, aut daretur ſtatim à ſuis parentibus, ſicut mos eſſet, cum honore illi tali Clerico, aut ipſa abiret ſua ſpontè in ejus amplexus. Hæc audientes parentes ejus nimiùm contriſtantur, quia volebant eam dare nobili ſponſo. Sed ejus minas timentes, ne fieret meretrix, datur viro, quem petebat, per manum Pontificis, qui invitus deſponſavit eam illi more ſolito, quia diligebat eum corde perfecto. Poſt hæc autem, ſicut ordo matrimonii poſtulat, requirit, ubi Miſſas audiat. Quas dum audiret, etiam horas S. MARIÆ pſallere cœpit, ùt ſolebat, devotiſſimè: ſed finitur Miſſa, priusquam Nonam incipiat. Unde valde triſtis fuit, ſi Nona non dicta diſcederet. Sed illico diſceſſit cum omnibus, qui cum illo ad has Miſſas venerant, atque tendunt ad domum, in qua erant plurima præparata, & ornata, ùt mos eſt, convivia, ubi ſimul venientes, cùm manus abluerent, dum menſa paratur, antequam diſcumberet, ſponſus Mariæ memor & Nonæ, quam non dixerat, rogat illos, ut expectent ſe, donec redeat, ſciens, quia tota die non haberet ſpatium, quo cantaret illam niſi ante prandium. Mox itaque Capellam quandam intrat, & ibi cœpit pſallere Nonam ante aram proſtra-

 tus

tus toto corpore: quam dum jacens cantaret, obdormivit fortiter, & ecce in visione desuper in aëre Mater DOMINI apparuit quasi tristis & indignans erga illum, & , si eam cognoscat, imperat, ut indicet. Cui ille respondit, quod eam non cognosceret. Ad hæc illa se MARIAM illam esse indicat, de qua Nonna erat, quam modo incœperat. Et adjecit: Verùm, inquit, quia mihi facta est injuria, sum confusa & turbata præ magnitudine tristitiæ: quia quondam virgo eram desponsata cuidam, qui spernens, & relinquens me nunc accepit alteram, & me tenet ùt rivalem & sicut adulteram. Sed quia mihi tantam fecit injuriam, hic magnam luet pœnam jure sibi debitam, & me perdet atque meam simul amicitiam. Tunc hæc cuncta de se dicta ille jacens miser intelligens, nimis tremefactus, licèt dormiens, ingemuit, se affirmans & lacrymans plurimùm culpabilem, & implorat, atque supplicat sibi dari veniam dicens: Miserere mei, inquit, ô Mater Altissimi. Nondum feci, quod promisi. Adjuva Domina pia, & subveni; Non negare, sed amare Dominum & te cupio & servire, & laudare semper, immò illam nuptam, quam accepi, relinquere & te meam primam, & bonam Dominam, si placet, recipere. Tunc pia Virgo mota his fletibus, & precibus ait illi dormienti:

Istis

Istis parce vocibus, & quod modò promisisti, fac, ut potes citiùs. Quod si agas, invenies me misericorditer atque meus Filius, sentiesque in hoc nostrum adesse auxilium modò tibi profuturum atque in perpetuum. Sic locuta Virgo Sancta confestim disparuit, & vir memor, quæ viderat, lætus in se rediit, & de responso sibi dato à beata Virgine credebat, & liberum se esse à commisso scelere.

Mox ergo surrexit & perrexit ad suum Pontificem, pandens ei cum suspiriis totũ rei ordinem, quomodo eum inimici seduxerant, & quæ per piissimam Mariam sibi revelata fuerant, atque orat, ut puellam ab eo disjungeret, & ut pater ejus Virginem reciperet (nam Mariam propter eam nolebat dimittere, quam ut Dominam matrem solebat diligere) & ut sibi magnam pœnitentiam daret, qua tanti peccati possit promereri veniam, postulat.

Præsul autem audivit suum Clericum, quem, ut dixi, diligebat sicut pater filium, tam perfectè pœnitentem & veniam poscentem paternè corripuit, pœnitentiam, quam voluit, dedit, monens illum, ut deinceps viriliter ageret, & ut justè, atque piè & castè viveret, & quæ dæmon suaderet, omnia contemneret, quia ita promerendo veniam reciperet; atque semper sine fine cum Maria viveret.

Post

Post hoc verò omnes, qui ad illud vocati sunt convivium, jubet Præsul, ut ad sua redeant hospitia: nam ille Clericus nolebat hanc puellam sibi datam tenere ulteriùs. Jubet ergo illud parentibus puellæ, ut hanc darent cum honore, ùt volebant primitùs, qui quondam sponsam adamaverat dudum, quæ & illum, ùt creditur, ampliùs dilexerat. Nimis namque contristata erga illum fuerat, quia sponsam aliam præter illam dilexerat, atque ipsam ùt rivalem indignanter spreverat, & hoc ei in visione revelaverat. Cunctis verò sciscitantibus, quæ esset illa? Præsul ait: Hæc est, inquit, Maria Virgo sacratissima, quæ ùt luna est decora, & ùt Sol pulcherrima, de qua pro nobis carnem suscepit, qui est ante sæcula.

Hæc audientes puellæ parentes atque omnes alii discesserunt laudantes Genitricem DOMINI, quæ, quos amat, sic defendit â tantis periculis. Et nos Fratres laudemus eam sicut servuli, ut per eam mereamur immortales fieri. Amen dicat omnis, qui vult salvus fieri.

His ergo finitis ad prædictum redeamus Clericum enarrantes, quàm devotum deinceps servitium impendebat suæ Primæ Dominæ Sanctissimæ MARIÆ, per quam ita liberatus est â prædicta puella. Accepit ergo magnam pœnitentiam, & dum

dum vixit, valde se afflixit jejunando juxta verbum Præsulis, cui erat confessus modum sceleris, ut veniam promereri posset. Nam & Beatæ MARIÆ, suæ Dominæ, dulciter, & intentè & devotissimè die ac nocte plus, quàm solitus erat, serviebat cum lacrymis & gemitibus orans, ut post finem animam suam defenderet, ne in illam inimicus manum mitteret. Timebat enim hostis antiqui insidias, & ne migrantem caperet, atque ad tormenta secum duceret. O quàm pia, & quàm magna DOMINI clementia erga justa & sancta desideria, sicut modò in hoc facto possumus cognoscere, in quo iste non indignè visus est hoc petere! Nam post breve tempus in languorem decidit, quo defectus & depressus mortem suam obiit, & regnum æternum accepit, quod quæsivit, quodque ipse petiit. Fertur enim, quòd ad illum visibiliter venerit sua pia Domina, Mater CHRISTI, quam amabat dulciter, & accepit animam ejus, & duxit secum, ut creditur, ad vitam æternam. O quàm felix esse potuit, qui Mariam Dominam habere meruit!

Et nos dilectissimi, si felices semper esse velimus, hanc ex corde diligamus, sicut & hic dilexit Clericus, & per illam cum Filio suo vitam æternam obtinebimus. Ergo ipsa sit benedicta per omnia sæcula, detque no-

nobis sempiterna gaudia unà secum & cum Nato suo, Redemptore omnium, qui in fine judicabit omnia, reddens bonis & malis juxta sua merita, cui laus, & potestas in sæcula Amen.

Cap.. XXXVI.

De quadam Abbatissa.

CElebre est dilectissimi ad illum medicum currere languentes, quem in arte sua tam potentem cognoverit, ut morbis omnibus idoneus sit subvenire, cujus etiam peritiam si pia quoque voluntas ornaverit, ut, quod sapienter potest, misericorditer omnibus velit impendere, nemini dubium, quin ejus præsentiam omnes alacriùs optent, & expetant efficaciam, suffragium requirant. Et hanc quidem devotionem languentium erga se ipsi experiuntur, qui corporum tantùm incommodis occurrere noverint. Si autem intelligitur, quis sit, qui in hac potentia sit sublimis, qui non inferiore gratia valeat tam animabus, qàm corporibus subvenire, ferventiùs desideratur, dulciùs diligitur. Sed in hoc munere cùm præstante gratia superna plures Sanctorum vigere manifestum sit, Mater utique Sancti Sanctorum hac potentia post Dominum privilegio spe-

ſpeciali præ omnibus ſublimatur, ad cujus clementiam omnis fideliter confugiens ab omni ægritudine liberatur, & vera ſanitate firmatur. Quod cùm modò facillimum ſit probare multipliciter, ſubjectis breviter demonſtrare placet exemplis.

Fuit ergo, ùt veracium fideli relatione virorum fertur, quædam ſanctimonialium ſpiritalis Mater, quæ officium hoc & nomine & actione tenebat, ſtrenuè curam regiminis ſancti exequens, & ſpiritali Zelo ſubjectam ſibi congregationem ad ſacri cuſtodiam ordinis pro rigore conſtringens. Sed cùm bonorum profectus pravis animis tabeſcentis livoris ingerit pœnas, cœperunt ſanctimoniales, quas ad diſciplinæ ſalutaris cuſtodiam admonebat, pro bonis mala impendere, & pro immenſa vivifici curâ regiminis odiorum ſtudia exercere. Injuſto ergo proſequebantur odio, quam juſtè diligere debuerant: & eam, quæ illas æternis honoribus dignas reddere laborabat, omni nudare honore cupiebant. Sociavit ſe livori eorum antiqui inſidiatoris infeſta malignitas, & eam, per quam ſua vaſa ſibi eripi dolebat, â ſanctitatis arce dejicere modis omnibus feſtinabat. Invaſit ergo cœleſtem theſaurum latronis invidi verſuta malitia, & occulto judicio DEI prævalens pretioſum ſigillum caſtitatis confregit cunctis Mundi opibus præferendum. Hujus enim

enim supplantata fraudibus præfata sanctimonialis mater cum dapifero suo incestum incurrit. Sed cùm de occulto peccato diutiùs exultaret, disponente Domino, qui de malis nostris suas laudes operatur, ingrato conceptu gravidatur. Nec tamen destitit regulari rigore subditum sibi sororum gregem observantiâ sancti ordinis coaptare, & inutiles vagandi licentias singulis denegare. Unde factum est, ut contra eam acriori livore murmurarent, &, si quid in ea, quod accusatione dignum esset, invenire possent, sollicitiùs explorarent. Jam tempus instabat, quo conceptus illius, quod studiosè celaverat, *onus* deponeret, cùm ecce tam per incessum, quàm per cibum â sanctimonialium muliebri sagacitate imprægnata deprehenditur, resque singularum relatu dispersa in notitiam omnium perducitur. Fit speciale gaudium universis, exultantes se in eam justam causam accusationis invenisse, quam suis voluntatibus adversam judicabant. Scribuntur litteræ, deprehensi criminis accusatrices causæ notabilis, & ùt sese res habet odientium, consertis mendaciis signantur, & Episcopo, in cujus locus ille diæcesi erat, criminatrices epistolæ deferuntur. Imminet illi nescienti Pontificis adventus, & ipso onere suo sibimetipsi gravis, quid ageret, ignorabat.

Erat

Erat ei privata capella, ubi quotidiano studio beatissimæ DEI Genitricis Mariæ, perpetuæ Virginis, solebat horas dulciori, quò potuit, affectu decantare. In hanc verò Ecclesiam semetipsam graviter promovens gloriosæ DEI Genitricis semperque Virginis Mariæ laudes solitas persolvebat. Finitis horis immanitatem peccati sui & publicæ confusionis, quam instare sentiebat, horrorem altiùs animo infixit, & totam mentem dolore concutiens intimè inter amaras lacrymas singultus acerbos emisit, & gemitus profundos ingeminavit. Affuit ei superno collato munere econtra spes misericordiæ DEI, deficere nescientis, & ejus misericordissimæ matris, totius creaturæ DEI potentissimæ atque dignissimæ Mariæ.

Ad tantæ ac tam piæ Virginis implorandum suffragium dolentem animum integra devotione convertit.

Toto ergo corde & corpore se in oratione prosternens: ad te, inquit, Clementissima Domina mea sancta, summæ pietatis ineffabilis Mater, & incomparabilis Virgo Maria confugio, singulare post Dominum & unicum refugium miserorum, ad te inæstimabile pietatis æternæ reclinatorium in angustiis meis lacrymosis suspiriis clamo, a te desiderans, te interveniente, per inexhaustam miserationem singularis Filii

tui DOMINI noſtri JESU CHRISTI, & reatus mei veniam obtinere, & horrenda opprobria imminentis confuſionis evadere. Hujusce modi precum lacrymoſis ſuſpiriis mœrentium ſingulare ſolamen beatiſſimam Mariam flebiliter invocabat, & ab ea ſuis calamitatibus levamen inſtantiſſimè efflagitabat.

Dum ergo anxiè cum contritione cordis inſiſtendo lacrymis & ejulatibus mixtas orationes effunderet, ſubitaneo depreſſa ſomno quievit in ſilentio. Et ecce ei Beatiſſima Maria comitantibus Angelis clementer apparuit, mœſtam miſericorditer alloquens, primò de tanta viſione trepidæ & hæſitanti, quia Mater miſericordiæ eſſet, quæ apparuit, & ob tanti ſolatii verba adjunxit: Audivi, ait, orationem tuam, vidi lacrymas, & me â benigniſſimo Filio meo, qui eſt pœnitentiæ ſuſceptor, noveris peccati veniam tibi, & ab infamia & confuſione, quam times, pleniſſimam liberationem impetrâſſe. Dixit & duobus Angelis, quemadmodum ſibi videbatur, ut eam prolis onere, qua gravabatur, exonerarent, præcepit, & cuidam eremitæ, ut per annos ſeptem ejus curam gereret, mandavit deferri, qui fuit ſeptimo milliario in vicina poſitus eremo. Quô facto liberatam fœminam pio admonens ſermone ait: Ecce op-

opprobrium, quod timebas, evasisti! Peccati laqueum deinceps cave, & sanctis studiis ardentiùs intende. Proinde scias te ab Episcopo plurimis verbis & improperiis fatigandam, nec tamen expavescas, sed fiducialiter age, quia omnia facile transibis. His verbis finitis visio disparuit, & sanctimonialis ejulans, & evigilans omni, quo prius cruciabatur, onere carere se sentit, & Domino ac liberatrici suæ, sanctissimæ Genitrici MARIÆ semperque Virgini incessabiles gratias egit.

Interim ergo â sororibus invitatus Antistes veniens Capitulum intravit, Abbatissam requisivit, eamque ad se vocari præcepit. Qua diu quæsita tandem in suo, quo B. Mariæ familiariùs serviebat, oratorio reperitur, & ad Episcopum venire jubetur. Surgit ergo, Capitulum ingreditur, & in loco sibi solito Præsuli considere festinabat. Accedentem ergo eam opprobriis antistes aggreditur, & injuriis fatigatam citiùs exire compellit. Illa verò ad memoriam reducens verba Beatæ DEI Genitricis ac perpetuæ Virginis fiduciam sumit, & foris egressa interrita mansit. Mittuntur etiam post eam duo Clerici pontificiali jussu, qui divulgatum de ea crimen explorarent. Accedunt, diligenter attendunt, & nullum in ea uteri

fæcundi ſignum deprehendunt. Mulieris itaque innocentiam Præſuli renuntiant. Sed illos Epiſcopus pecunia corruptos exiſtimans per ſemetipſum curioſiùs explorat. Itaque nullum in ea criminis objecti veſtigium cernens ejus ad pedes corruit, veniam de illatis injuriis expoſcit. Illa verò expaveſcens tantam Pontificis humilitatem, terra coram eo procumbit, indignam ſe clamans, pro qua tam ſublimis perſona tanta ſe humilitate dejiciat.

Tum demum antiſtes omnibus, qui crimen objecerant, vehementer iratus, ut de Monaſterio citiùs exirent, præcepit. Abbatiſſa verò eas, malevolo licèt animo, tam vera dixiſſe perpendens, ad honorem Beatæ DEI Genitricis, benignæ liberatricis ſuæ, peccatum, quod fecerat, maluit Epiſcopo revelare quam criminatrices ſuas adverſa pati permitteret ſe proſternens, ei omnem rei ordinem pandit. Hoc ille audito miraculo, dum in glorioſæ Virginis & Beatæ DEI Genitricis Mariæ immenſa pietate benedicens, ſtatim duos clericos ad Eremitam pro hac cauſa, ſolicitiùs inquirenda, transmittit. Veniunt ergo illi, de puero ſciſcitantes, & ab homine edocti puerum ea die natum, & â duobus juvenibus ad eum paulò antè delatum, & mihi datum ex parte B. Mariæ Vir-

Virginis ibi conſpiciunt, & revertentes omnia Pontifici referunt.

Lætus ergo Pontifex puerum, ùt Mater DOMINI præceperat, cum homine Dei nutriendum ſeptem annos permiſit, quem poſt in ſuam curam ſuſceptam ad litteras poſuit, religione, ac ſcientia clarum ſucceſſorem ſibi idoneum educavit. Nam ipſo vitæ ſuæ peracto curſu in Domino requieſcente, ipſe ei in Epiſcopatu ſucceſſit, & Beatæ DEI Genitricis ac ſemper nominandæ Virginis Mariæ merita vitâ & verbis magnificis prædicavit. Accedant itaque ad tam potentis medicinæ Dominam, omnes ægroti veniant, ut ſanentur, ſancti beatam Mariam correctis moribus ſtudioſis laudibus venerentur. Neſcit ergo miſeris deficere pietas ejus, quæ nos omnes miſericordiæ dulciſſimi Filii ſui commendat. Qui &c.

Cap. XXXVII.

Viſio cujusdam Sacerdotis.

INter cætera miracula, quæ de beata & glorioſa ſemper Virgine DEI Genitrice Mariæ referuntur, & veraci ſtylo ſcripta eſſe videntur, illud ſilentio non eſt prætereundum, quod in Monaſterio Bruviningenſi conſtat fuiſſe declaratum.

Quidam Presbyter, qui in divinis ſcripturis ſtudebat, & dictandi ſcribendique uſum habebat, cum reliquo curſu, quem in divinis horis de S. Maria frequentabat, etiam Completorium de illa quotidie cantare ſolebat. Qui cum quadam die completorio ſe in lectulo collocâſſet, Homiliam ſuper illud Evangelium: *Exurgens Maria abiit in montana*, dictare coepit. Sed cùm attentiùs meditationi inſiſteret, inter meditandum obdormivit, & Completorium, quod de Sancta Maria dicere debuit, oblivioni tradidit. Gravatus ergo ſomno putabat ſe ſtare in Eccleſia ante principale altare, ubi accedentem ad ſe Dominam reverendo vultu aſpexit: quaſi faciem matris ſuæ videret, cum admiratione nimia gaudebat. Quam cùm ſalutâſſet, illa ſubridens: nolite, inquit, mirari, quòd hac hora venerim ad vos. Veni enim ut Completorium â vobis audiam, quod nondum audivi. Et cùm ille jam Completorium ſe cantâſſe affirmaret, illa ſubjunxit: Unum quidem Completorium, quod eſt regulare, dixiſtis, ſed alterum neglexiſtis. At ille in ſe reverſus, recordatus eſt Completorium Sanctæ Mariæ ſe oblivioni tradidiſſe.

Tunc pia Mater eum aſſumpſit, & ſecum ducens ad altare S. Johannis Baptiſtæ, quod juxta principale altare ad ſeptentrionalem

nalem plagam ſitum eſt, divertit. Ibi lux immenſa refulſit, quæ altare illud, & ea, quæ in circuitu altaris ſunt, perfudit. Sedile poſitum erat juxta altare, ubi ſedere ſecum Presbyterum Beata Maria faciens, ut Completorium cantaret, admonuit. Illa ſeſſio jucunda erat, in qua tanta dulcedine mentis delectabatur ille, qui Completorium cum Beata Maria cantabat, ut ſe in paradiſo DEI eſſe ſentiret. Finito Completorio ipſa cœleſtis Reginæ viſio diſparuit, & Presbyter evigilans ſignum ad vigilias matutinas pulſare audivit. Hac viſione omnes adoptivi Sanctæ Matris Mariæ filii admonentur, ut nihil negligendum ducant in omnibus, quæ ad obſequium & venerationem Reginæ Cœleſtis pertinere noſcuntur.

Ego ſcilicet Boto, qui hanc viſionem jam ſenex de S. MARIA vidi, & quaſi de alieno ſcripſi, plura de ipſa Matre Miſericordiæ, & de ejus beneficiis, quæ ante annos quadraginta circa me gerebantur, referre dignum duxi. Tunc ætate Juvenis, officio Subdiaconus eram, cùm ſupra vires ingenii mei meditandi ac dictandi ſtudio fervere cœpi, ita ut hujus exercitii gratiâ ſæpius inſomnem ducerem noctem. Quo circa infirmitatem maximam capitis incurrebam, & in lectum decidens totis viribus corporis deſtitutus eram. In illa

tam diutina ægritudine mea faſtidio eram Fratribus noſtris, qui me cuſtodiebant, & ideo â me recedebant, nec curam mei gerebant. Solus ille beatæ memoriæ *Heinricus* Elemoſynarius ex affectu charitatis me refovebat, & me tunc penè ad exitum propinquantem diligenter cuſtodiebat. In quo ſtatu corporis, & mentis tunc eſſem, nec verbis perfectè explicare poſſum. Exteriorē hominem meum flagellis ſuis Dominus cinxerat, interiorem verò hominem manu ſua tenebat, & ducebat, quo volebat. A terra ſurſum elevabar, ad divinas manſiones, lucidas, lucidiores, lucidiſſimas, *ubi* requieſcunt animæ Sanctorum, ſpiritu rapiebar, & miranda videbam, quæ dicere non licet, quia nec dicenti aliquis fortè crederet. Sed & ſub terra dimiſſum me ſentiebam, & in pœnis infernalibus horrenda videbam.

Inter hæc lecto velut exanimis jacebam, & nihil horum, quæ videbam in locis & ædificiis, agnoſcebam. Corporei oculi mei ſic obſcurati erant, ut nullum ex Fratribus noſtris facie vel nomine cognoſcerem. In alio enim ſæculo me eſſe putabam, Antichriſtum tunc temporis in ſæculo regnare æſtimabam, cum quo me pugnaturum fore formidabam. Quid plura? Ego, qui â Magiſtris aliquando inſtru-

ſtructus litteratus eſſe putabar, nunc flagellantis DOMINI manu tactus in infirmitate, non cognovi litteraturam, quia introivi in potentias DOMINI. O quanta eſt potentia, quam terribilis eſt in ſua potentia ille, qui aufert etiam ſpiritum principum! Ipſe communem hominum ſenſum mihi abſtulit, & alios, quos voluit, ſenſus ſuper me induxit. Quis non miretur, quis non ſtupeat, quod de tota ſcientia mea nihil mihi remanſit, ſed totum ſimul amiſi, quidquid unquam didici. Si librum inſpiciebam, legere vel cantare aliquid neſciebam. Si orare volebam, nec pſalmum, nec *Pater noſter*, nec *Credo in Deum*, nec aliquam orationem ad memoriam revocare poteram. De tota ſcriptura veteris ac novi Teſtamenti nihil aliud memoriter retinebam, niſi illam Antiphonam: *Sancta Maria ſuccurre miſeris*. Et Hymnum: *Ave maris ſtella*, quæ jugiter repetebam, terebam, & hac voce inclamabam: O Sancta Maria, ſpes & ſolamen miſerorum, exaudi me clamantem ad te. Adhuc quatuor anguli in capella tua ſunt: da mihi locum in domo tua ut requieſcam.

Dum hæc clamarem, matutina laus â Fratribus in choro cantabatur.

Interea ego in domo infirmorum jacens in lecto soporatus sum. Et ecce video in ecclesia S. Mariæ ante altare thronum positum, & in throno sedentem Dominum Jesum, & ante faciem ejus stantem beatam illius Genitricem, quæ flexis genibus sic orabat: Domine Clementissime, miserere illi, qui ad me jugiter clamat. Da ei per gratiam tuam, ut de infirmitate convalescat, & amodo in tuo servitio proficiat. His visis & auditis statim evigilavi, & Conventum cum processione intrantem in capellam audivi, & pristino sensu mihi reddito intelligebam, & cum psallentibus psallebam. Mirantibus cunctis diluculo surrexi de lecto, convalui de infirmitate. Ex tunc per Domini misericordiam, & Sanctæ DEI Genitricis intercessionem scientiam percepi ampliorem, & perspicaciorem in divinis scripturis intelligentiam.

Eo tempore quo Ecclesia S. Mariæ pictura decoraretur, in ipso picturæ opere decentissimè ordinabatur materia per quinque distinctas festivitates, quarum prima est nativitas sacratissimæ Virginis Mariæ: Secunda Annuntiatio Dominica: Tertia Incarnatio DOMINI: Quarta Purificatio Sanctæ Mariæ: Quinta assumptio ipsius Reginæ cœlestis. Et quam gratum, & acceptum fuerit hoc opus DEI Genitrici,

ci, quod ad ornatum domus ejus fiebat, ipsa gloriosa Virgo per suam præsentiam ostendere dignata est. Nam nocturno tempore, quando Cursus Sanctæ Mariæ in capella cantabatur, dormitanti mihi visa est gloriosa Virgo ibidem deambulare, & picturam diligenter considerare, & alacri vultu Conventui gratias agere pro impenso tantæ venerationis obsequio.

Cap. XXXVIII.

De Episcopo Bono.

PRæsul erat quidam Domino gratus,
Ex Francorum genere natus.
Bonus erat ei nomen,
Quod designat bonum omen.
Iste juxta Domini legem
Custodivit suum gregem:
Sanctitatis dans exemplum,
Sancti Michaëlis petiit templum.
Solus in obscuro loco orat,
Dominumque puro corde rogat,
Planctus agit, pectus tundit,
Inter fletus preces fundit.
Quò cùm veniens plebs abscedit,
Et ad sua quisque redit.
Ille solus ibi jacet,
Ut Divinæ laudi vacet.

Custos loca perscrutatur,
Ne quis ibi relinquatur.
Hic manere solus audet,
Nec se posse capi gaudet:
Dum ex corde Domino psallit,
Perscrutantes servos fallit.
Hi recedunt, isti orat,
Et culparum memor plorat.
Horâ noctis intempestâ,
Dum revolvit sua gesta,
Dum amaros agit planctus,
Angelorum audit cantus,
Oblectatur dulci melo,
Descendente quasi e cœlo.
Namque verba vocum audit,
Memorique corde claudit:
Admiratur tanto sono,
Tam suävi gaudet tono.
Dum precatur Dei Numen,
Videt latè fusum lumen,
Et cœlestis adest cœtus,
Unde virum subit metus.
Angelorum chorus petit,
Et vexilla sua vehit:
Subsequuntur Sancti Dei,
Quos precamur omnes rei,
Inceditque sic festiva
Virgo Mater, sicut Diva.
Quæ rogata, quis cantaret,
Vel qui Missam celebraret,

Bono

Bono, inquit, hoc concedo:
Illum enim dignum credo.
Verba præſul audiebat,
Seque tremens retrahebat.
Ipſe lapis cedens ei
Servat ſignum hujus rei.
Statim Sancti Bonum quærunt,
Et quæſitum invenerunt.
Quem indutus veſtem præclaram
Ducebant contra aram.
Sic cœleſti veſte dives
Cœli ſtabat inter cives.
Patriarchæ hunc ducebant,
Et Prophetæ præcinebant.
Incedebat ſic deductus,
Memor tamen ſui luctus,
Et accedens aram petit,
Quam cum Sanctis ante ſtetit.
Hinc ſuſcepta manu pura
Ipſe offert Deo thura.
Reſonabant dulces meli
Præcinente turba cœli.
Ut divinum opus dignè
Vix peregit, & benignè
Virgo Mater ei veſtem
Pro mercede dat cœleſtem,
Agit grates, reddit vota,
Laudat Deum mente tota:
Et quam ſibi Virgo dedit,
Sumit veſtem, & abſcedit.

His

His occultè ita gestis
Crevit fama datæ vestis:
Et nihil ille celat,
Quod viderat, hoc revelat.
Alius quidam credens malè,
Se mereri quidquam tale,
Præcessoris ad exemplum
Illud idem petit templum.
Intrat solus valde serò,
Et hebetatus velut mero
Jacet fessus,
Et quasi gravi somno pressus.
Sed ut Aurora lucem dedit,
Et nox cum somno recedit,
Ipse capite vix erecto
In suo se videt lecto.
Exterritus signo crucis se munit,
A thalamo procedit:
Occurrentes sibi ministros salutat,
Et errare se putat.
Tandem ad se Præsul reversus consedit,
Et, quæ sibi acciderant, suis cum stupore
patefecit.
O quàm pia & quàm benigna,
Omnique laude est digna
Mater Christi intacta,
O quàm mira, quàm pia ejus facta,
Quæ sic parcens negligenti
Sanum reddidit suæ genti,

Ma-

Malens illum pœnitere,
Quàm pro culpa mox delere:
Benè autem vigilantem,
Et ſe devotiùs exorantem
In tantum dilexit, ut veſtem
Ei largiretur cœleſtem
Volens eum celebrare
Opus Dei ſalutare!
Et ne quis incredulus hoc putet falsò inventum,
Hujus veritatis cognoſcat argumentum.
Nam adhuc durat idem veſtimentum,
Nullum ferens detrimentum.
Aleupnenſis * urbs prædives, Orienti tota patens,
Occidenti partim latens,
Fama clara,
Belli non ignara,
Clarus Mons nuncupatur,
Apud quem conſervatur
Illa bona Boni veſtis,
Rarò viſa niſi diebus feſtis.
Eſt autem eadem veſtis ſuaviſſimi odoris,
Et nitentis coloris,
Miræ lenitatis,
Et levitatis.
Modus autem contexturæ,
Vel cujus ſit creaturæ,
Prorſus ignoratur.

* *Videtur innui Aleppo, celebris Syriæ urbs, Turcis & Arabibus nunc Halap dicta.*

Do-

Dominus quidem Herebertus Norwacensis se hanc vidisse, & contrectâsse dicebat, nec qualitatis ejus aliquod indicium invenire poterat. Ergo qui istam non credis verè, ùt dico, ita esse, vade, & fac tibi fidem: vestem hanc illic invenies. Vide, & laudes Domino referre memento. Ne obliviscaris manè Stellæ maris, cujus donis non privatur, quisquis ei devotè famulatur. Ipsi & ejus Nato honor, laus & virtus in secula amen.

Cap. XXXIX.

De quodam Monacho.

QUàm dulcis, & quàm pia sit S. Maria, DOMINI nostri JESU Christi Mater, erga eos, qui eam diligunt, & venerantur, & in quantum possunt, ejus auxilium & gratiam semper requirunt, ex quadam re, quæ quondam accidit, apertè potest intelligi. Prior enim Certosiæ, venerabilis Vir, Leuricus nomine, mihi hoc, quod scribo, retulit, & quod refero, se vidisse, & audisse asseruit.

Quidam Monachus fuit Westmonasterio Leuricus nomine, qui Abbatiam Certosiæ, dum abbatia sine rectore esset, multis modis, ut illam haberet, quæsivit. Sed hoc totum absque voluntate sui Abbatis fie-

fiebat omniumque Monachorum ejusdem loci. Sed quamvis hi omnes voluissent contrarii ejus esse voluntati, tamen per virtutem Regis, qui tum temporis regnavit, ibi positus est. Postquam autem Rex cognovit, quòd Abbati suo & monachis omnibus ejusdem loci displicebat, eum de eodem loco abstulit, & misit eum ad aliam Abbatiam, quæ longe ab eodem loco distabat, & ibi aliquamdiu mansit. Postea verò rediit ad locum Certosiæ, & iterum ibi manere cœpit. Non multò verò tempore, postquam ibi reversus est, invasit eum quædam gravis infirmitas, qua & mortuus est.

Quamvis autem iste Leuricus ferè in cunctis, quæ agebat, valde esset reprehensibilis, tamen S. Mariam multùm diligebat. Sæpius quoque in ejus veneratione bis vel ter in hebdomada Missam celebrabat. Cùm autem ab eadem infirmitate, quæ eum ceperat, vehementer esset afflictus, morique timeret, mandavit suo Abbati, ut ad eum venire dignaretur, eumque sibi, antequam moreretur, reconciliaretur, timens, ne, si, antequam reconciliatus fuisset, moreretur, propter peccata sua damnaretur. Hac itaque infirmitate gravatus, dum se huc illucque verteret in loco, ubi jacebat, nesciens, quid potissimùm faceret, quod eum adjuvaret,

rogavit monachos, qui ibi erant, ut pro DEI amore & sancta charitate ei misericordiam facerent, & euntes in monasterio pro ejus angustiis DEI misericordiam, & S. Mariam Matrem misericordiæ exorarent, quatenus ei subveniret, & animam ejus à pœnis, quas timebat, liberaret.

Interim dum suum Abbatem expectaret, & Fratres Lytanias & orationes pro eo facerent, loquelam amisit & obmutuit, similisque mortuo fuit. Monachi verò, qui in Monasterio erant, & pro eo orationes ibi faciebant, ut hoc audierunt, statim ad eum cucurrunt tristes & dolentes, quòd, antequam moreretur, unctus non fuisset, & communionem corporis & sanguinis DOMINI non percepisset. Cumque ante eum stetissent, vidissentque quia omnino nihil loqui poterat, sed sicut mortuus jacebat, ignorabant, quid ei facerent.

Cœpit æger interim spumam non modicam emittere, subitoque respirans sese plangere cœpit, & manu contractâ dicere: Domina S. Maria, Domina S. Maria, tibi gratias ago de hoc, quòd me in hac die liberatum habes, quòd ego damnationem, quam promerueram, non incurri: quæ damnatio citiùs advenisset mihi, nisi tua misericordia, tuumque auxilium protinùs succurrisset. Domina Sancta Maria, gratias

tias immensas tibi refero, quia hodie Filium tuum Dominum nostrum pro me rogâsti, quatenus ejus corpus & sanguinem dignus essem accipere, & gratiam, quam Christianus debet habere, non amitterem.

Post hæc verba rogavit Priorem & cæteros Fratres, qui ibi aderant, ut, quàm citiùs possent, corpus & sanguinem Domini offerrent, eumque communicarent. Cùm itaque sacra communio corporis & sanguinis Christi, sicut rogaverat, ante eum allata fuisset, cœpit cum lacrymis dicere, se veraciter corde credere & ore confiteri, quòd hoc corpus veraciter esset DOMINI, quod de Virgine sumpsit, & pro peccatoribus in cruce pependit, & sanguis, qui de latere ejus fluxit. Deinde communicatus est, sicut rogaverat. Quo peracto, ut oleo sancto ungeretur, obtinuit. His autem omnibus peractis confessione facta Fratres salutavit, & ab eis benedictus indulgentiam accepit, impositusque, ùt mos est, cilicio lætus & hilaris spiritum reddidit. Cujus animam ut credimus sancta & piissima Virgo Maria, quam semper inclamavit, suscepit, & in beata requie collocavit. Sepelierunt deinde eum in suo Capitulo benedicentes Dominum ejusque Genitricem, Sanctam Mariam, quæ ei tantam gratiam à DOMINI misericordia impetravit. Quam gratiam ipse Dominus noster nobis con-

cedere intercessione ipsius Matris dignetur, qui vivit, & regnat, &c.

Cap. XL.

De quodam Sacrista.

In Gallica regione, Burgundionum *finibus*, res gesta esse perhibetur, quam narrere volo. Fuit in illa regione congregatio Monachorum districtè sub regulari norma degens, cui præerat Abbas, vir prudens & insignis vitæ, exhibensque sese dignum tali appellatione: quia gregi commisso plus prodesse studebat, quàm præesse. Itaque sicut sano capite cætera membra sana vigent, bonitas, quæ in Prælato firmiter coaluerat, ab eo in subjectos passim transfundebatur. Ex quibus ille silentii, ille doctrinæ luce radiabat; hic *in* legendo præstabat, assiduus alter in orando sine intermissione apparebat præcipuus: ille forinsecus necessitatibus proximorum obedienter ac solicitè prodesse ampliùs gaudebat, mirabantur hujus studium in scribendis libris, illius in emendandis solertiam commendabant: efferebant illius humilitatem, alterius patientiam & modestiam, illius abstinentiam venerabantur, in alio dulcedinem mentis, & præcipuam discretionem. Velut ergo quidam paradysus innumeris flo-

flosculorum varietatibus, ita illud Cœnobium illustrabatur distributis à Domino per singulos variis virtutum charismatibus.

Erat ergo inter illos quidam Frater, Sacristæ ministerio principaliter deputatus, magnæ religionis, ut arbitrabantur cæteri. Nempe plurima laudabilia in illo videbantur. Nam in horis pulsandis competenter sollicitus, in altaribus & luminaribus & cæteris præparandis strenuus videbatur, & in ornamentis ædificiisque ecclesiæ conservandis & augendis unicè commodus erat, Junioribus verò quibusdam blandè affabilis erat, & in claustrali necessitate benignus consultor. Sed pòst, ut in fine patuit, nec hæc ab eo tam sincerè gerebantur, quàm putabatur. Proh dolor! Nullus in hac carne degens, quantumcunque profecerit in virtutibus ab hoste antiquo potest fieri securus, qui semper circuit quærens, quem devoret, cujus esca electa, cui quisque tanto odiosior est, quantò sanctior: quem juvat potissimum, quorum pejor est casus, a quo sicut inter Angelos principium peccandi est admissum in cœlo, ita eorum gaudet ruinis maximè, qui Angelicam vitam proponunt agere in claustro. Sic seductus est ab eo sacrista ille. Quid enim viribus suis homo faciat, dum contra prin-

cipium viarum DOMINI, contra summum Archangelum pulvis pugnat?

Ille miser sacrista corrupto per unum crimen vasculo suæ animæ, acidum coram Domino exhibebat, quidquid boni videbatur agere. Arrepta ergo opportunitate de facilitate crebri exitus (nam in ecclesia jacebat, & quasi pro utilitate cœnobii suppeditabat ei, quotiens vellet, excundi à monasterio licentia) & ex hac occasione in rure vicino cum quadam muliercula fornicandi clanculo habebat consuetudinem. Latebat autem omnes hoc flagitium diebus multis, Abbatem præcipuè, ac monachorum Conventum, quibus vel cogitare de illo tale aliquod scelus videbatur permagnum; tantam in eo frugalitatem tantam pensabant in moribus honestatem.. At profecto, verum est, quod de fama dicitur.

Ipsa, quid in Cælo rerum pelagoque geratur,
Et tellure videt, totumq; inquirit in orbem.
Mixtaq; cum veris passim commenta vagantur.
Viva rumorum.

Ecce namque cùm Frater ille magnæ à toto Conventu æstimationis haberetur, à rudi plebecula undique foris cantabatur. Et cùm ille miser neminem crederet sui criminis conscium præter solam peccati ejus consortem, fama illa portentuosa

tuosa publicè rem divulgebat omnem. Crescunt in dies de monacho rumusculi, dubii susurri auctores, & semper auditis aliquid novi adjecit auctor, atque ut vilibus homunculis vitioque naturæ malevolis magno tripudio est latenter bonos lædere, occultè bonorum clandestina detractione dignitati gloriæque derogare, pro posse obsistere, culpa unius Monachi juxta arbitrium illorum diffunditur in cæteros monachos. Culpæ verò occasione, quam committebat ille solus, totus incusatur Conventus, totus addicitur ordo Monasticus. Qua agnoscentes aliqui laici vicini, honesti ac religiosi, præfati Cœnobii sincerè atque constanter amici, satis ægro tulerunt animo. Nempe diversis de causis erga illum locum multi servabant non diversum affectum. Alii enim prædia sua pro suis illic animabus contulerant, alii suas devote soboles ad serviendum regulariter Dominò illuc obtulerant, aliqui sese inibi quoque habitum religionis assumpturos polliciti fuerant. Singuli verò variis rationibus obnixi, Monasterio faventes, ad se sanè censebant omnem ejus pervenire infamiam, nitebanturque pro viribus laceratoribus religiosi ordinis piè reluctari. Quos cùm sedare non possent: (est enim pravis ingeniis innatum, prava semper li-

benter dicere & audire:) mœsti condicto inter se die ad monasterium conveniunt vocatoque Abbate seorsum sicut agguti & discreti viri prudenter illum appellant. Ajunt enim primò, rem grandem sese afferre, rem â senioribus Cœnobii non dissimulandam, rem perfectò ipsi Abbati non ferendam: postulantque, ne quod dicerent studio charitatis puræ, aliquatenus illis in vitium verteretur malevolentiæ.

Itaque Abbate vehementer stupente, sacristæ flagitium, quod in ore totius vulgi, quotidie versari audiunt, manifestant.

Deinde astruunt suspicionem, tum peccandi opportunitatem, tum nonnullis aliis argumentis satis verisimilibus. Postea verò reprehendunt acriter simulatam diu Religionem, exaggerant non sacristæ, immò sacrilegi, actum fœdissimum, indignantur, quòd ille monachus, vel potiùs monstrum, tam sacro Monachorum ordini fecisset opprobrium. Postremò autem quæsti sunt lugubriter de priori Ecclesiæ gloria, deque præsenti ejus infamia; orant, obsecrant, ut quoquo modo tandem aliquando prospiciat, & propalatum flagitium diutiùs incorrectum regnare minimè sinat.

Quid

Quid ad hoc Abbas diceret? quo se verteret? negaret crimen? At videbat illis quidem persuaderi hoc non posse. An probaret? At necdum satis inde certus erat. Diu ergo anxius id tandem potissimum judicavit, ut primò quidem gratias ageret religioso eorum studio, ut benevolentiam, quam in eis erga cœnobium intelligebat, augerent. Ait ergo, multum sibimet displicere auditum flagitium, & eò magis, quia quidquid â discipulis delinquitur, pertinet ad magistrum. Veruntamen experientia quotidiana constare, instabilis rumusculos vulgi ad condemnationem personæ, in qua tot invenirentur laude digna, minime sufficere. Subtexuit etiam ùt eruditus exempla quàm plurima. Memoravit enim Eustathium, litteratissimum Antiochiæ Patriarcham sub Constantini primi temporibus, qui præcipuus rectæ fidei & signifer in Concilio Niçæno contra pestilentûm complices obstitit, ac deinde ab ipsis est Patriarchatus officio dejectus composita calumniâ per quandam conductam mulierculam, quæ perjurio sese quoque firmarat de Episcopo peperisse. Subdidit etiam & de Alexandrino Athanasio, quem similiter machinantibus Arrianis fæmina in Concilio de sui violatione accusaverat. Denique cùm exemplis & rationibus congruis

 osten-

ostendisset periclitatam sæpe inter improbos innocentiam; congestis copiosè auctoritatibus Patrum contra temerarios auctores & judices sacrorum ordinum palam fecit canonicè convictos. Asseruit etiam, & pro incerta culpa non debere certam pœnam irrogari: id magis esse paternum comprobavit, de sonte filiò potiùs bona, quàm de insonte mala opinari. Ad ultimum verò blanditiis piis, & rationum dulcedine lætos eosdem laicos per DEI timorem & amorem, per diuturnam pollicitamque sæpe amicitiam obsecrat, quatenus, ùt cæperant, sacri Ordinis blasphematores pro viribus retundant, pollicens de re sibi maximè curam futuram, ac sic â se viros domum redire permisit de ipsius affabilitate, prudentia, rectitudine admodum gratulantes.

Abbas verò pensans, quod dicitur: *qui dimittit aquam, caput est jurgiorum*, rem compressit; sed â Domino interim precibus obnixis ad investigandam corrigendamque rem tantam petere opem non destitit. Itaque die quadam ipse sacrista venit ad Abbatem ad confessionem. Id enim semper faciebat vel gratiâ dissimulandi clandestini flagitii, vel quia, ùt est prædictum, religiosus erat in multis. Finito itaque de illis, pro quibus venerat, sermone Abbas reperta opportunitate indagare ten-

tentans de his, quæ audierat, primò memorat inter se habitam diu familiaritatis fidem constantiamque in amicitia, subpressisque testibus indicatum sibi vitium pandens, excusansque mox ipsum Samsonis & David comparatione, plurimisque aliis modis obsecrat per DEI Judicium, ne humanitatem * familiari amatori erubescat confiteri. Spondet, si fateatur, eum non amoris, non honoris, non officii, nec cujusquam rei, præterquam solius peccati condemnationis diminutionem subiturum. * f. veritatem

Monachus verò hæc audiens vi conscientiæ graviter sanè urebatur, sed quia sæpe ac multùm præmeditatus erat, quod esset venturum, suspiciones constanter inficiando diluit. O quantæ sunt humani generis cordis latebræ! Ipse enim sesé per juramenta, per execrationes, per plurimas etiam rationes purgatô, immò graviùs inquinatô, insuper in Abbatem retorta causæ illatione incusat, quòd nimis faciles præberet aures susurronibus. Censens itaque Abbas plenè sibi satisfactum, gratulatus est admodum, at Monachus jam semper quidem detegere metuebat. Veruntamen quia, *qui facit peccatum, servus est peccati*, desistere nequibat â voluptate criminis usitati. Consueverat ergo primô silentiô pausantibus cæteris clam de lecto surgere, Ecclesiam, in qua jacebat, egredi, &

& ad nefas patrandum pergere. Quo perpetrato revertebatur nocte intempesta. Et quò minùs foret suspectus, ad Matutinos quibusque noctibus ipse pulsabat manu propria.

Sed amnis præterfluebat idem Cœnobium, qui transvadari oportebat ab eo in eundo & redeundo. Quem una nocte solito more â perpetrato flagitio rediens, cùm securè putaret transire, contigit ei illud, quod â Salomone dicitur: *qui sæpe malè agit, corruit semel.* Nempe aquis pluvialibus aucto torrente ille miser se ignarus immisit, ibique per inevitabile DEI judicium nullo mortalium conscio submersus est. Instabat ergo hora matutinalis officii. Surrexêre ergò in dormitorio Fratres, præstolabantur signum prætereunte hora, veniunt denique ad lectum Sacristæ comites, qui in Ecclesia jacebant, eoque non reperto mirantur & stupent, sed exigente tempore ipsi pulsant. Aliquot ergo diebus transactis cùm stupentes de illo quærerent nec aliquid agnoscere possent, contigit rem ignotam taliter palam fieri.

Contracto amne post inundationes priores transiens illum quidam eques comperit monachum jacentem sub fluctibus: suspicatusque, ne de proximo esset cœnobio, illuc properat, Abbatem inqui-

quirit, eique rem indicat, qui mox pro sacristæ amissione valde suspectus est redditus. Mittit statim de clientibus, mittit de Fratribus, qui sollicitè inquirant. Qui recognito Monacho cùm renuntiâssent Abbati, hunc esse sacristam, mittit ad mulierem, quæ infamata erat de consortio flagitii, callidos investigatores. Illa verò his, quæ Monacho contigerant, auditis admodum consternata est, &, ùt est mulieris inconstantia, sciscitantibus illis rem omnem diu tectam detegit: insuper qua nocte postremo die apud eam fuerit, quave hora discesserit, non tacet. Nox illa & hora palam cognoscitur, qua ille pulsandis Matutinis absens fuerat. Unde Abbas plenè colligens, quòd submersus fuisset in redeundo, ac peracto crimine, desperavit animo de ejus salute, & vocatæ, ùt in talibus rebus fieri solet, omni congregationi miserabiliter est conquestus, quòd tam publica turpitudine contingente defecisset honor monasterii pristinus, Fratresque lacrymosè consuluit, ut communiter deliberent, quid in tanta re optimum factu sit. Tunc illi, quia nullus audebat sperare salutem hominis, in tanta iniquitate intercepti, pariter id capiunt consilii, ut pro illo nec Missam dicant, nec preces fundant, nec saltem corpus ejus de aqua levent. Nam licèt idem fuis-

fuisset olim dilectus à quam plurimis, hoc tamen eis videbatur & rationi congruum, & auctoritati Canonum conveniens, videbaturque eis, dum hoc vulgatum foret inter laicos, honori proficere Monasterii. Videbatur etiam ad cæterorum cautelam terroremque hanc promulgationem fore loco utile exemplum. Quid multa? Habito diu consilio placuit communiter hæc definitio.

Erat autem quidam Frater adolescens inter cæteros defuncto illi quondam familiaris & dilectus, qui præ cæteris esset ferventissimus in ordine monastico, & studiosissimus in servitio S. Mariæ, cujus gratiâ replicamus hæc omnia. Isdem verò Frater sui dulcis amici morte audita nimio mærore angebatur, quem sibi mœrorem damnatio illius animæ geminabat. Ergo tactus compassione permaxima, fiduciamque habens non exiguam in DEI misericordia, definitionem Capituli nimis ægrè tulit, judicansque hanc prorsus sententiam sibi intolerabilem, manante fletu ab oculis, dedecoratus misero vultu, præ dolore mentis procedit in medium, humi prostratus toto corpore ante Abbatis Fratrumque omnium pedes orat, obsecrat cum singultu & gemitu, quatenus liceret sibi saltem pro amici anima piissimæ DEI Genitricis clementiam deprecari. Visa

au-

autem est aliquibus temeraria hæc petitio, sed ante omnes Armarius, id est, Cantor Ecclesiæ gravissima in eum commotus est indignatione. Namque is erga præfatum sacristam aliquid simultatis habere in animo consueverat, prout lues hæc etiam quorumque perfectorum præcordia macerat. Increpat itaque Juvenem, redarguens amarè atque contumeliosè illius præsumptionem. Sed ille nec Abbatis monitis, nec pro exhortationibus Fratrum, nec pro convitiis Armarii, qui maximè urgebat, compesci â sua petitione poterat.

38 Igitur magis ac magis instantem non ferens Abbas, pia importunitate ad ultimum devictus est. Quippe haud nescius, quàm pio ille Frater DEO serviret studio, amplius illum verebatur contristare, & dolorem ei apponere. Annuit ei itaque dicens: etsi ad defuncti animam nullum perveniret ex Fratrum orationibus auxilium, saltem viventi, ùt Patres dicunt, esse inde aliquod solatium. Impetrato ergo, quod exoraverat ille Frater, non otio tempus consumpsit oscitando segniter, sed in claustro sub aliqua columna vel in aliquo angulo sedens, & codicem ex more, aut manu aut gremio tenens, dum forsitan aliò videbatur intendere, nullâ horâ, nullo fere momento suam Dominam suumque singulare refugium desinebat animi clamore.

more. Quoties verò furtiva ei facultas advenerat ingrediendi Ecclesiam, sacris altaribus cum magnis suspiriis advolvebatur, ac ante sacram crucifixi DOMINI imaginem lacrymans miserabiliter conquerebatur, specialiter verò ante piissimæ Dominæ nostræ memoriam volutabatur. Ipsum cum gemitu, ipsam cum fletibus uberrimis invocabat. Sed quid hæc? quid nitor dicere, quod nequeo ennarrare? Ut ait Apostolus, interpellare studebat gemitibus inennarrabilibus. Exitus itaque rei docuit, quâm se inennarabiliter habuerit. Nam piissima DEI Genitrix, pietate victa, ex more excitata sui servuli vociferationibus interminatis & jugi mœrore illum consolari dedignata non est.

Apparuit ergo flenti anxiè, alienatæ penitùs à sæculo præsenti mentis ejus aciei dulcis Angelorum Regina. Qua insolita visione illi tremefactus est oppidò. Siquidem cum tanta claritate, cum tanti luminis circumfusione apparuerat, quantâ Imperatricem totius conditæ universitatis decebat. Stetit tamen, & Frater mox ipsam recognovit eâdem dante manum, eâdem illustrante intellectum. Blande itaque stupentem monachum compellans illa, dum piè sciscitatur, quæ illi esset causa tanti doloris, dedit audaciam trepido, ut fideliter explicaret desiderium suæ depreca-

cationis: Dilecte, inquit, fili, quid agis? quid adeò te affligis? quid insontem de corpore suo animam violenter extrudis? Hic tantus gemitus, hic tam continuus mœror, hæc tam gravia suspiria, hæ lacrymæ infinitæ quid intendunt, quid â me petunt?

Mox ille sui unanimis amici mortem replicat, peccatum fatetur, veniam summo nisu obsecrat. Ad quæ cum Domina misericordissima respondisset, quòd is, pro quo peteret, certissimè in cruciatus infernales addictus esset: non esse preces perdendas [pro eo,] quem definita damnatio (a) teneret, ille totus in lacrymas effluens, dolore transverberatus, in corde sensum vix capiens, in mediis, quas iterare conabatur, precibus ab ea derelictus est. Nempe exorsus erat dicere, quòd ejus, utpote summæ Imperatricis interminabili potentiæ nec ullius, quamlibet flagitiosum, facinus præponderaret, nec vires inferni resisterent, neque Christi Filii sui sententia obstaret. Sed necdum sermonem finierat,

 su-

(a) *Subintellige: finalis, cujusmodi non fuit damnatio animæ hujus sacristæ, qui haud dubiè saltem ad momentum resuscitatus a Deo fuit, ut pœnitentiâ sua peccata deleret & hoc modo salvaretur. Vide S. Thom. in 1. Sent. dist. 43. q. 2. a. 2. quæstiunc. 2. ad 5. ubi de ejusmodi damnatis, resuscitatis ac demum salvatis universim pronuntiat, quòd non finaliter damnati erant: præsciebat enim Deus, Sanctorum precibus a pœnis liberandos & vitæ restituendos.*

subitò disparente illa, quæ videbatur, solus remansit. Quid misero tunc animi fuit? De amici suppliciis multò, quàm ante, certior erat, cùm à suâ Dominâ, in cujus ope spem impetrandi habuerat, absque impetratione se reprehensum, se relictum videbat. Quid ampliùs ageret? Sed ne desisteret ab incepta deprecatione, stimulatur vehementiori, quàm priùs, studio, amici compassione, ne desperaret adhuc dulcissimæ DEI Genitricis clementiam. Non irritæ priores lacrymæ commonebant, quæ ipsam Matrem jam de cœlis attraxerant ad terram, jam visionem ei ostenderant.

Itaque tanquam nihil esset, quod antè gesserat, totum se novis modis, totumque prorsus in lamenta dat, expertus per apparitionem præfatam, quanta fletuum, quanta sit precum efficacia. Statuit etiam plena fide non à cœpto labore deficere, donec rem, quam postulabat, quamvis difficillimam, vel potiùs impossibilem, perpetua Virgo sibi à se impetrandam, ad æternam sui nominis gloriam, revelasset. Verùm quia nemo ejus afflictiones & instantiam sufficit ennarrare, ad ea properemus, quæ gesta perhibentur esse.

Apparuit itaque ei Mater pietatis secundò, anxiumque consolata est, lætoque nuntio illum exhilarat, amici ejus, pro

quo

quo tàm propere precabatur, animam carcere Tartareo ereptam, collocatamque â se in paradisi amœnitatibus indicat, denique imperat, ut pariter Abbati ac Fratribus & primò agnitam Sacristæ damnationem, & impetratam pòst eidem salvationem referat. Imperat, ut eis diceret, ne illum auderent sua communione separare.

Ille fretus tanta auctoritate, post reddita inexplicabilia gratiarum preconia jussui Dominæ obtemperat. Siquidem, cùm primum potuit, cunctæ congregationi in Capitulo, quæ sibi revelata, quæ illis mandata fuerunt, per ordinem pandit. Sed non tam verba dicere, quàm deficere visus est illis. Suspicabantur nempe aliqui eum vigiliis ac dolore læsum, & forsitan alienata mente phantasiis versuti dæmonis delusum. Ante omnes autem Armarius & super omnes simultatis gratiâ illum nimis amarè increpat, juvenem irreverentem, superbum communis decreti contemptorem, præsumtuosum vocitat. Exaggerat pervicaciam, quo primitus decretum commune solus refutaverat, & nunc suorum deliramenta somniorum sequenda Conventu attulerit. Abbas autem cum plerisque de melioribus, licèt vera esse cuperet, quæ audierat, ne tamen & ipse ridiculus haberetur, increpatum jubet tacere.

Frater ergo acriter exaſperatus contumeliis, in deſperatione cœpti laboris eſſe cogeretur illorum ſententiis, niſi Domina noſtra, quæ juvat puſillanimes, refovet flebiles, labentem ſuſtentâſſet. Nempe haud poſt multo cùm recurriſſet ille ad opem ſolitam, flenti amariſſimè DEI Genitrix tertia jam vice ſe videndam obtulit, dolentemque conſolans piè hæc intulit: Jam fili tuis luctibus finem dabo, Abbatique dic mea vice, ut, ſi corpus Fratris defuncti, qui ſub aquis jacet tanto tempore, ſub aquis reperierit intactum & ſine putredine integrum; tunc ſaltem credat mihi, & obtemperet. Cumque metu Armarii, ſicut pridem, conviciaturi, videret horrentem juvenem, ſancta Virgo hæc addidit: Cantori, ſi obſtiterit, mea vice denuntiato, quòd poſt decem & novem dies obitu maturè punietur ſimultatis ejus impia pervicacia.

Frater verò, ùt juſſus erat, Abbati ſuo mandata Dominæ ſuæ Sanctæ Mariæ indicat, indignantem Cantorem nuncio vicinæ mortis exterret. Muſſitant Monachi, & variis opinionibus fluctuârunt. Placuit tamen mitti od locum, videri & probari. Miſſis itaque de ſenioribus plurimis ad aquam, in qua mortuus jacebat, properant, tactu ac viſu experiuntur, quod audierunt. Siquidem virtus illa divina, quæ

aquas

aquas rubri maris divisas quasi murum circa Israëliticum populum stare fecerat, hujus quoque virtutis aquas in specie fornacis arcuatas supra corpus miro modo suspenderat. Sub hac velut Crypta Crystallina, vel potiùs aquatica, cadaver jacebat, siccis glareis honestè impositum, siccum sine fœtore, & absque sanie. Unde qui aderant, valde stupefacti festinanter Abbati renunciant atque Conventui.

Quis se tunc â CHRISTI laudibus tenuit? Quis Christi Genitricem piissimam non cum summa devotione benedixit? Quis ejus infinitam clementiam manibus erectis non extulit? Excitati tantæ famâ novitatis vicini ad Monasterium conveniunt, quique quondam fuerant contristati divulgata infamia, nunc audiunt Dei miracula omnesque exhilarantur, omnes congratulantur. Nulla esse poterat titubatio, animam sacristæ tam liberam â suppliciis, quàm cadaver ejus erat integrum atque incorruptum, quod tam diu jacuerat sub aquis.

Paratur itaque cum thuribulis & crucibus processio comitante infinito populo, multipliciter Dominum laudantes, &, ùt a DEI Genitrice eis mandatum fuerat, corpus ad Ecclesiam deferunt, & in cœmeterii locis honestioribus tumulant.

Cantor verò experta in parte visionis

fide non dubitavit implendum, quod de eo fuerat prædictum. Certus itaque de suæ mortis instantia, omnium Fratrum pedibus se advolvebat, &, ut a Matre DEI Sanctisque omnibus sibi veniam exorarent, suppliciter petebat. Et quia nequibat irritum fieri, quod Mater veritatis decreverat, obiit die statuto. Sed verisimile est professus visum in morte, qua temporaliter est punitus, terminum pœnas ejus accepisse, quia tanta pœnitentia, tantæ lacrymæ, tanta suspiria misericordiam præcesserant.

Hic pono finem narrationis, veniam petens prolixitatis. Sed res coarctanda non erat: quia habemus exemplum ruinæ, quam caveamus: damnationis, quam timeamus: liberationem stupendam, cui devotiùs famulemur. Nemo quidem præter opem Beatæ DEI Genitricis semperque Virginis Mariæ, piissimæ Dominæ nostræ liberatur ab inferno, sed præ cæteris videtur mirabilis de condemnata anima ista liberatio.

Sit ergo laus ei, sit gloria Filio ejus, cum quo pia regina illa regnat in cœlo Amen.

Cap.

Cap. XLIII.

De Imagine S. MARIÆ.

CUjusdam Fratris relatione cognovi miraculum, quod narro. Referebat enim, se hoc audisse à quôdam Presbytero, Venerabili Meritoniensis Cœnobii. Qui idem Presbyter hoc in Ecclesia gloriosæ Matris DOMINI gestum esse testabatur, dum ille adhuc in sæculari habitu positus curam Patriarchæ administraret.

Erat quidam Teutonicus, genere quidem clarus, sed ab inferiore parte corporis adeò contractus, quòd non nisi cruretenus se ipsum per terram trajicere poterat, qua de re suorum non ferens aspectum quibus, ut solet fieri, & oneri erat & despectui: (Hac quippe lue totum ferè genus humanum infectum est, quòd quilibet chari, postquam in valetudinem gravem incurrerint, sæpè in odium veniunt atque fastidium) cœpit homo ille semetipsum cum labore maximo trajiciendo diversa loca Sanctorum peragrare, si fortè misericors & miserator Dominus alicujus Sancti meritis sui misereri, seque sanitati restituere dignaretur. Revelatum est autem ei, quôd, si mare transiret, & in Angliam veniret, absque dubio in Ecclesia DEI Genitricis Mariæ sanitatem recepturus esset.

Qui licèt tale iter grave sibi valdê atque laboriosum fore conspiceret, quæ prò adipiscenda salute gravissimum plerumque facit subire laborem, quæsivit utpote id, quatenus in Angliam veniret. Sed quoniam, ubi gratiam curationis consecuturus esset, certus locus ei designatus non fuerat, quanquam sibi onerosum fuisset, tamen per diversorum locorum Ecclesias in nomine Matris Domini constructas, mendicando tam diu se miserabiliter trajecit, donec in genibus & cruribus carne consumpta ossium nuditas appareret. Tandem miserante Domino, gressumque illius disponente, ad quandam villam, nomine Curdinges, in territorio Sancti Eatmundi regis Anglorum & Martyris, Seccanâ devenit, quo loco habetur Ecclesia in honore superiùs nominatæ, & semper nominandæ atque venerandæ Genitricis DEI Mariæ consecrata. Quam dum quadam die magna populi frequentia replesset, & inter alios præfatus languidus adesset, sicut semper solebat, piissimam Mariam, consolatricem mœrentium, & languentium fletibus, vocibus interpellat, ut se respiceret, & sanitatem olim promissam sibi acceleraret. Et ecce subitò cœperunt nervi contracti se in ordinem suum redigere cum tanto sonitu, quatenus circumstantes in stuporem verterentur. Sicque homo

homo ſe erigens, rectisque greſſibus conſiſtens miſeratricis miſerorum, ſuæque ſalvatricis nomen in ſua lingua cum magna vociferatione & lacrymis, cum gaudio mixtis, acclamabat: Domina Sancta Maria, Domina S. Maria, piiſſima Mater Chriſti, glorioſiſſima Regina cœli, gratias ago tuæ ineffabili pietati, qua ſuper me miſerum & peccatorem oculos miſericordiæ aperuiſti mihique in tam gravi corporis incommodò ſalutis remedium procurâſti. Quis ergo tunc à laudibus Chriſti contineret? Quis dulciſſimam Matrem ipſius, ad ſubveniendum miſeris tam promptam ac paratam, corde ſimul & voce non benediceret?

Quædam autem Judæa, nuper baptizata, huic miraculo intererat, quô viſô plurimùm in fide confortata eſt. Fama verò per vicina loca diſcurrens Iveræ Comitiſſæ ad notitiam pervenit, quæ ad ſe virum vocans, Dominique magnalia in ipſò collaudans, ſimulque glorioſæ Matris Domini tam pium ſuffragium ei collatum ex corde venerans, & pro amore ipſius Dominæ novis eum veſtibus induit, dicens, ſi vellet, quòd eum in ſua cura gratanter retineret. Cujus liberalitati pro impenſò beneficio gratias referens reſpondit, quia poſtquam ſanitati reſtitutus fuerat, deſiderium ſibi fore, patriam parentesque re-

visere, inter quos, utpote nobilissimus, satis honorificè se conversari posse non ambigebat.

Cap. XLII.

De quadam Sanctimoniali.

FUit quædam Sanctimonialis in quodam Conventu fœminarum, summo Domino famulantium, quæ præ cunctis sororibus amabatur ab omnibus. Hæc namque plus aliis jejuniis studebat, vigiliis ac gemitibus & aliis virtutibus quàm plurimis, quibus placens Altissimo & ejus Genitrici manebat in cœnobio tali degens obsequio. Sed ùt vidit Diabolus, qui semper manet invidus, quòd ab ea sic repulsus esset nec non despectus, suasit illi misera Domini præcepta spernere, virginitatem, quam in mente & corpore servabat, perdere.

Postquam autem cecidit, ingemuit amarè, atque perhorruit scelus, quod fecerat, ac pœnituit, quia Dominum, & ejus Genitricem offensos habuit. Mox verò ad pedes Abbatissæ se humillimè prostravit, spondens se promptam esse facere, quidquid præciperet. Cui spiritualis Mater benignè compatiens injunxit ei pœnitentiam, per quam Domino offerre posset dignam pœnitentiam & satisfactionem.

Sed

Sed prius vita caruit, quàm pœniteret, quod deliquit, & post mortem pœnis pro suo scelere tradita est crudelissimis. In quibus dum, quæ fecerat, facinora dilueret, quadam nocte in visione se demonstrat Abbatissæ. Quam ut vidit, non expavit, sed ùt confestim inquisivit, si in pœnis adhuc esset, an ex illis exisset, vel sua delicta jam illi essent condonata. Ad hæc illa ei narrat, quæ perpessa mala erat, & quæ adhuc eam dignam oporteret sustinere: Sum in pœnis Mater, inquit, & uror vehementer, & heu mihi miseræ nec commissa mea adhuc mihi sunt dimissa. Sum enim inter fœminas deputata laicas, perdidique stolam primam virginalem, quam habebam, quando fui casta virgo, ac Domina dicata. Sed hoc scias, quia salva ero per beatissimam Mariam Virginem in futuro. Illa namque benedicta, Maris Stella quæ est dicta, illa quippe, quæ nostrarum est redemptrix animarum, cùm essem in magna angustia, ad me venit, illa inquam tota fulgens sicut Sol, quam ego recognoscens esse clementissimam Mariam, exclamavi flens, & hæc dicens: O Mater Maria, quid faciet hæc peccatrix? Heu mihi quare nata sum, quæ sic cecidi! Ubi eras gloriosa, quando huc introgressa sum? O Domina si clamantem me audisti, cur vocem meam sprevisti? Nonne vides istos ignes, qui me urunt,

Nunc te quæso, mea chara Abbatissa, stude illi servire, & devotè obedire, quæ tam citò fert juvamen sibi servientibus. Et si vis ejus dulcissimam gratiam acquirere, vide, ut semper illi cantes ipsas preces atque laudes, quas cantabam, dum vivebam. Nam Beatam Mariam semper exorabam pro omnibus peccatoribus. Oratio verò, quam sæpiùs psallebam devotiùs, & piæ Domini plùs placuit Genitrici sic incipit: Sancta & perpetua virgo, & pia Domina, & cætera.

Abbatissa verò audiens hæc valde gavisa est, & manè surgens, atque visionis reminiscens jubet adesse sorores, illis, quæ viderat, narrans monet, ut diligant Matrem Domini, & honorent, & ut illi persolvere studeant devotissimè omnes preces, quas cantabat soror illa adhuc vivens, ut & ipsæ veniam ab ea reciperent & gratiam. Hæc audientes sorores spondent, quòd isto modo & omni servirent Matri Domini tempore. Gaudentes igitur piæ Matri Domini reddunt grates pro sorore liberata, quæ sic pœnis erat data, & cæperunt proclamare simul omnes una voce: O quàm laudanda, & quàm amanda, & honoranda est ista Virgo, quæ tam benignè succurrit peccatoribus. Toto ergo corde, tota mente hanc laudemus assiduè, utque hæc perficere valeamus, Christus nobis concedat per intercessionem dilectæ Genitricis suæ, qui

qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum Amen.

Cap. XLIII.

De Imagine S. Mariæ.

EST operæ pretium referre, quod Dominus operatur in Constantinopolitana urbe, quo signo defendat Sabbatha Sanctæ Mariæ in hac Metropoli, ut relatu probabilium virorum didicimus. Est quædam Basilica, cognomento Lucerna, famosa & venerabilis, in honorem Beatæ Mariæ Virginis consecrata. Ibi, ut mos est in Græcia, habetur ipsius Reginæ imago, gestans in gremio illum suum nobilem primogenitum infantem Jesum. Hæc imago pro Beatæ Mariæ Virginis reverentia velatur syndone holoserica, nec audet quisquam civium Divinæ Virginis respicere vultum, donec revertatur ad sextam feriam. Tunc Sole jam ad occasum vergente, quando vespertina S. Mariæ solemnia incipiunt, expansum velamen invisibili machina ostendit civibus cœlestem Domini thesaurum. Quod velamen sursum arte Domini vibratum sic immobile perseverat per omnes noctes illius Vigilias, & singulas Sabbathi horas, quæ Mariæ laudes resonant, cum solemni officio Missæ, usque ad terminum horæ no-

nonæ. At verò Vespere Sabbathi, quæ initiat solemnia Sanctæ Dominicæ, velum Sanctæ Mariæ iterum deponitur sine ullius labore, & obnubilat illam cum magna veneratione. Ex qua re probatur per Orbem terrarum mos increvisse, ut omnes Christiani festivè agant memoriam Beatæ Mariæ in omni Sabbatho, quantum possunt ad honorem ipsius Virginis, ut ipsa sit interventrix pro nobis apud Filium suum, Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum Amen.*

** Hic finit Codex Monasterii S. Crucis, Caput sequens ex Codice seculi XIII. Cœnobii Ursinensis depromptum est.*

Cap. XLIV.


De quodam Monacho S. Blasii, nomine Marcvvardo.

Quidam Monachus Sancti Blasii, nomine Marcwardus, pius Religiosus, cùm nocturnis horis ante Matutinos in Choro stans contra principale altare Matutinos de Sancta Maria cantare cœpisset, sicut ipse postea secretiùs quibusdam narravit, de eodem altare in anteriori parte ejusdem altaris lucem in modum Lunaris sphæræ paulatim crescere vidit. Nam sicut ille Matutinos in longius canendo protraxit, ita etiam eadem lux in majus crescendo se

se augmentavit: & postquam Matutinos finierat, ipsa etiam lux in modum plenæ Lunæ excreverat. In eadem verò luce viventem imaginem DEI Genitricis se testabatur vidisse.

FINIS.





INDEX
Capitulorum in hoc Opusculo extantium.

Cap.

CX.

Cap.

CXL.

CLXXXVII.

CCVII.

CCXXX.

Elenchus Capitum.

Pothonis Libelli de Miraculis B. Mariæ Virginis.

Cap.



378. lin. 15. narratione.	narrationem.
385. - 27. meo.	meæ.
386. - 21. Anglicis.	Angelicis.
396. - 10. cognoverit.	cognoverint.
402. - 17. tam.	tamen.
403. - 6. ſuſceptam.	ſuſceptum.
- - 25. Mariæ.	Maria.
404. - 6. die Completorio.	die completo regulari Completorio.
410. - 7. iſti.	iſte.
415. - 26. reconciliaretur.	reconciliaret.
416. - 14. cucurrunt.	cucurrerunt.
418. - 7. divulgebat.	divulgabat.
- - 14. Qua.	Quæ.
430. - 21. illi.	ille.
4 . 3. - 27. Conventa.	Conventui.
434. - 13. reperierit.	repererit.
436. - 5. exorant.	exorent.
437. - 10. Patriarchæ.	Parochiæ.
441. - 17. Domina.	Domino.

Errata typographica.

Errata.	*Correcta.*
Pag. 26. & 27. Stomachaticum.	Stomachicum.
31. lin. 1. alium.	aliam.
55. in marg. præſentantis.	præſentantem.
57. lin. 28. carnem.	carneum.
95. l. 12. hominis.	homines.
107. l. 15. lepidus.	tepidus.
114. l. 11. non.	vox.
ibid. l. 13. cavendus.	cavendum.
116. l. 15. pſallebat.	pſallebant.
125. l. 13. amo te.	amodo.
142. l. 8. ſuper tunicale.	ſupertunicale.
152. l. 1. ipſiusque.	ipſisque.
161. l. 21. inducendo.	induendo.
163. l. 6. trumphis.	truphis.
175. l. 2. Benigna.	Begina.
200. l. 20. in dextram.	*dele* in.
212. l. 18. diſco operiens.	diſcooperiens.
217. l. 19. iden	ideo.
223. - 4. infundebantur.	infundebatur.
225. - 1. miraculum.	miracula.
234. - 7. trenuos.	ſtrenuos.
256. - 28. intentant.	intentat.
258. - 1. religioſitates.	religioſitatis.
264. - 29. a feria enim.	*ſupple* quarta.
299. - 4. amplexabuntur.	amplexabantur.
334. - 21. ei	eis.
337. - 3. adorat.	adoratur.
- - 17. Sancta.	Sanctæ.
338. ult. frequentaret.	frequentaretur.
339. - 11. a cruce.	a crure.
349. - 25. referri.	referre.
350. ultim. ergo.	erga.
359. 16. ſeſſe.	ſeſe.
362. - 21. circumdate.	circumda te.
370. - 7. Chriſto vobis.	Chriſto lac vobis



Errata typographica.

Errata.	*Correcta.*
Pag. 26. & 27. Stomachaticum.	Stomachicum.
31. lin. 1. alium.	aliam.
55. in marg. præſentantis.	præſentantem.
57. lin. 28. carnem.	carneum.
95. l. 12. hominis.	homines.
107. l. 15. lepidus.	tepidus.
114. l. 11. non.	vox.
ibid. l. 13. cavendus.	cavendum.
116. l. 15. pſallebat.	pſallebant.
125. l. 13. amo te.	amodo.
142. l. 8. ſuper tunicale.	ſupertunicale.
152. l. 1. ipſiusque.	ipſiſque.
161. l. 21. inducendo.	induendo.
163. l. 6. trumphis.	truphis.
175. l. 2. Benigna.	Begina.
200. l. 20. in dextram.	*dele* in.
212. l. 18. diſco operiens.	diſcooperiens.
217. l. 19. iden	ideo.
223. -4. infundebantur.	infundebatur.
225. -1. miraculum.	miracula.
234. -7. trenuos.	ſtrenuos.
256. -28. intentant.	intentat.
258. -1. religioſitates.	religioſitatis.
264. -29. a feria enim.	*ſupple* quarta.
299. -4. amplexabuntur.	amplexabantur.
334. -21. ei	eis.
337. -3. adorat.	adoratur.
- -17. Sancta.	Sanctæ.
338. ult. frequentaret.	frequentaretur.
339. -11. a cruce.	a crure.
349. -25. referri.	referre.
350. ultim. ergo.	erga.
359. 16. ſeſſe.	ſeſe.
362. -21. circumdate.	circumda te.
370. -7. Chriſto vobis.	Chriſto lac vobis



Errata typographica.

Errata.	*Correcta.*
Pag. 26. & 27. Stomachaticum.	Stomachicum.
31. lin. 1. alium.	aliam.
55. in marg. præſentantis.	præſentantem.
57. lin. 28. carnem.	carneum.
95. l. 12. hominis.	homines.
107. l. 15. lepidus.	tepidus.
114. l. 11. non.	vox.
ibid. l. 13. cavendus.	cavendum.
116. l. 15. pſallebat.	pſallebant.
125. l. 13. amo te.	amodo.
142. l. 8. ſuper tunicale.	ſupertunicale.
152. l. 1. ipſiusque.	ipſisque.
161. l. 21. inducendo.	induendo.
163. l. 6. trumphis.	truphis.
175. l. 2. Benigna.	Begina.
200. l. 20. in dextram.	*dele* in.
212. l. 18. diſco operiens.	diſcooperiens.
217. l. 19. iden	ideo.
223. - 4. infundebantur.	infundebatur.
225. - 1. miraculum.	miracula.
234. - 7. trenuos.	ſtrenuos.
256. - 28. intentant.	intentat.
258. - 1. religioſitates.	religioſitatis.
264. - 29. a feria enim.	*ſupple* quarta.
299. - 4. amplexabuntur.	amplexabantur.
334. - 21. ei	eis.
337. - 3. adorat.	adoratur.
- - 17. Sancta.	Sanctæ.
338. ult. frequentaret.	frequentaretur.
339. - 11. a cruce.	a crure.
349. - 25. referri.	referre.
350. ultim. ergo.	erga.
359. 16. ſeſſe.	ſeſe.
362. - 21. circumdate.	circumda te.
370. - 7. Chriſto vobis.	Chriſto lac vobis



Errata typographica.

Errata.	Correcta.
Pag. 26. & 27. Stomachaticum.	Stomachicum.
31. lin. 1. alium.	aliam.
55. in marg. præsentantis.	præsentantem.
57. lin. 28. carnem.	carneum.
95. l. 12. hominis.	homines.
107. l. 15. lepidus.	tepidus.
114. l. 11. non.	vox.
ibid. l. 13. cavendus.	cavendum.
116. l. 15. psallebat.	psallebant.
125. l. 13. amo te.	amodo.
142. l. 8. super tunicale.	supertunicale.
152. l. 1. ipsiusque.	ipsisque.
161. l. 21. inducendo.	induendo.
163. l. 6. trumphis.	truphis.
175. l. 2. Benigna.	Begina.
200. l. 20. in dextram.	*dele* in.
212. l. 18. disco operiens.	discooperiens.
217. l. 19. iden	ideo.
223. - 4. infundebantur.	infundebatur.
225. - 1. miraculum.	miracula.
234. - 7. trenuos.	strenuos.
256. - 28. intentant.	intentat.
258. - 1. religiositates.	religiositatis.
264. - 29. a feria enim.	*supple* quarta.
299. - 4. amplexabuntur.	amplexabantur.
334. - 21. ei	eis.
337. - 3. adorat.	adoratur.
- - 17. Sancta.	Sanctæ.
338. ult. frequentaret.	frequentaretur.
339. - 11. a cruce.	a crure.
349. - 25. referri.	referre.
350. ultim. ergo.	erga.
359. 16. sesse.	sese.
362. - 21. circumdate.	circumda te.
370. - 7. Christo vobis.	Christo lac vobis